G. Mueller

De Aeschyli Supplicum tempore

atque Indole

DE AESCHYLI SUPPLICUM TEMPORE ATQUE INDOLE

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA RITE CAPESSENDOS SCRIPSIT

GEORGIUS MUELLER
COTHENSIS.

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVIII

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
CAROLUS ROBERT.

PARENTIBUS CARISSIMIS

S.

Quinque fabularum Aeschyli, cum septem aetas tulerit, didascaliae servatae sunt. Earum quoque quarum didascaliae deperditae sunt, Supplicum et Promethei, viri docti tempus stabilire conati sunt. Et cum de Promethei aetate iudicia inter se congruere coeperint, de Supplicibus quam maxime diversa et fuerunt et manserunt. Qua de quaestione quae ante hos tres annos duo viri docti scripserunt, Deubnerum [1]) dico et A. Körtium [2]), eandem fere opinionem professi, cum mihi argumentis speciosis potius quam idoneis fulciri videantur, denuo accuratius in hanc rem inquirere mihi proposui duplici consilio, primum ut falsas sententias refellam simulque in refellendo nonnullas res adhuc non satis bene perspectas melius illustrem, deinde ut ea argumenta quae stabilia esse censeo, novis si quibus potero observationibus augens enarrem.

Initium capiamus ab argumentis ex historia repetitis. Ac primum quidem A. Boeckhius [3]) Supplices in numero fabularum Aeschyli recentissimarum habendam esse censuit. Qui cum — ut iam ante eum alii, quicunque primus, eumque secutus O. Muellerus [4]) — carmine v. 625 sqq. [5]) pro salute Argivorum optima vota cani videret, Aeschylum his versibus ad foedus inter Argivos et Athenienses sive factum sive faciendum respicere pro certo habuit [6]). Sed cum neque

[1]) Neue Jahrbücher für klassische Philologie etc. 1906. 234 (oratio academica anno 1905 habita).

[2]) Mélanges Nicole 1905. 289.

[3]) Tragoediae Graecae principum rel. 1808 p. 54.

[4]) Lit. Gesch. I. 543. Eumenid. 122.

[5]) Numeris utar editionis Weilianae.

[6]) Ut in Eum. 772 sq.

Atheniensium mentio fiat et fabula ipsa laudationem Argivorum postulet, talibus argumentis inniti non possumus. Quod autem gravissimum est, in illo carmine Supplicum Argivis munera pacis petuntur; sed foedus illud Athenienses et Argivi ad bellum communiter gerendum inierant; de quo si poeta cogitavisset, non tam pax alma quam robur et laus bellica a dis petenda erant, similiter atque in Eumenidibus est v. 864, ubi postquam bona Atheniensibus ab Eumenidibus danda exposuit, Minerva pergit

θυραῖος ἔστω πόλεμος, οὐ μόλις παρών,
ἐν ᾧ τις ἔσται δεινὸς εὐκλείας ἔρως·

cf. 918: *τὰν καὶ Ζεὺς ὁ παγκρατὴς Ἄρης τε*
φρούριον θεῶν νέμει

At quamquam in Supplicibus per argumentum fabulae licuit, cum bellum Argivorum et Aegyptiorum immineat, tamen non solum talia vota desunt, sed etiam bella chorus deprecatur.

Tum Bergkius[7]) Supplices ut ante Persas ita non ante Ol. 75 doctam esse credidit, cum satis aperte Argivae civitatis renascentem fortunam collaudari, quae post bella demum Persica pristinas videretur vires recuperasse, contenderet. Quae cum ex carminis 625 ss. interpretatione concluserit, hic tractare supersedeo, cum ipse de eo carmine criticorum et interpretatorum commentis multum vexato in corollario disputaturus sim, unde Bergkium ut Supplices „Argis ipsis scriptam, Argis commissam esse“ demonstraret, argumentis infirmis nisum esse apparebit. Omnino autem ipsa res plane incredibilis est Argivos iam Aeschyli temporibus tragoedias Atheniensium proprias imitatos esse; nam quod tyrannus Syracusanorum, ut aulae suae splendorem augeret, cum alios poetas tum novi generis poetici praecipuum auctorem invitavit, res longe alia est. Neque ullo iure Bergkius ad opinionem suam stabiliendam rei publicae

---

[7]) In libello academico Friburgensi 1857 p. 6. idem Lit. Gesch. III. 307.

statum, qualem in Supplicibus invenit, potissimum usus est. Qua de rei publicae forma, cum alii quoque viri docti tempus Supplicum evincere conati non recte iudicaverint, disputatione paullo ampliore agendum est. Videmus autem in Supplicibus rem publicam quasi liberam esse: penes populum summam auctoritatem esse, regem nolle quicquam sine populo agere. Quod cum ex aliis locis apparet, tum his regis Pelasgi verbis demonstratur (v. 365 ss).

οὔτοι κάθησθε δωμάτων ἐφέστιοι
ἐμῶν· τὸ κοινὸν δ' εἰ μιαίνεται πόλις,
ξυνῇ μελέσθω λαὺς ἐκπονεῖν ἄκη.
ἐγὼ δ' ἂν οὐ κραίνοιμ' ὑπόσχεσιν πάρος,
ἀστοῖς δὲ πᾶσι τῶνδε κοινώσας πέρι.

De comitiis totius populi intellegendi sunt versus

604 *δήμου κρατοῦσα χεὶρ θ' ὅπῃ πληθύνεται*
et 607/8 *πανδημίᾳ γὰρ χερσὶ δεξιωνύμοις*
ἔφριξεν αἰθὴρ τόνδε κραινόντων λόγον

Quibus versibus Aeschylum rem publicam Argivorum ut tum fuerit depingere E. Meyerus censet[8]) cumque ipse antiquissimam hanc fabulam esse statuat, ex Aeschylo historiae Argivae lucem afferre conatur: „Die Demokratie in Argos zeigt Aeschylus Hiketidentrilogie, die vielleicht noch vor 480 fällt. Sie überträgt die Zustände der Gegenwart in die Zeit des Pelasgos, der König (Herod. VII 149) ist völlig machtlos, das Volk entscheidet über die Aufnahme des Danaos.“ Eandem fere sententiam et plura insuper commentus Bergkius professus erat. Quae num recte statuerint viri illi praestantissimi, valde dubito. Nam ex illo Herodoti testimonio, quod Meyerus attulit, anno 480 Argis nondum populi suffragiis sed procerum senatu omnia recta esse apparet. Idem de hac re Gilbertus[9]) et Busoltius[10]) iudicant. Narrat autem Herodotus (VII 148) haec:

---

[8]) Geschichte des Altertums III 321.
[9]) Griechische Staatsaltertümer II 77.
[10]) Griechische Geschichte III 114.

Ἀργεῖοι δὲ λέγουσι τὰ κατ' ἑωυτοὺς γενέσθαι ὧδε· ...... μετὰ δὲ ὡς ἐλθεῖν τοὺς ἀγγέλους ἐς δὴ τὸ Ἄργος, ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸ βουλευτήριον καὶ λέγειν τὰ ἐντεταλμένα. τοὺς δὲ πρὸς τὰ λεγόμενα ὑποκρίνασθαι ὡς ἕτοιμοί εἰσι Ἀργεῖοι ποιέειν ταῦτα κ. τ. λ. 149. *ταῦτα μὲν λέγουσι τὴν βουλὴν ὑποκρίνασθαι, καίπερ ἀπαγορεύοντός σφι τοῦ χρηστηρίου μὴ ποιέεσθαι τὴν πρὸς τοὺς Ἕλληνας συμμαχίην.* Deinde pergit: *τῶν δὲ ἀγγέλων τοὺς ἀπὸ τῆς Σπάρτης πρὸς τὰ ῥηθέντα ἐκ τῆς βουλῆς ἀμείψασθαι τοισίδε, περὶ μὲν σπονδέων ἀνοίσειν ἐς τοὺς πλεῦνας, περὶ δὲ ἡγεμονίης αὐτοῖσι ἐντετάλθαι ὑποκρίνασθαι, καὶ δὴ λέγειν σφίσι μὲν εἶναι δύο βασιλέας, Ἀργείοισι δὲ ἕνα· οὐκ ὦν δυνατὸν εἶναι τῶν ἐκ Σπάρτης οὐδέτερον παῦσαι τῆς ἡγεμονίης, μετὰ δὲ δύο τῶν σφετέρων ὁμόψηφον τὸν Ἀργεῖον εἶναι κωλύειν οὐδέν.* Qui locus, ubi de foedere anno 480 cum Persis faciendo agitur, summi momenti est, quod Herodotus ea quae narret, ab Argivis ipsis tradi testatur[11]. Atque haec omnia ita comparata sunt, ut de populi dominatione cogitari non possit; omnium rerum potestatem videmus penes senatum esse; contra in Supplicibus senatus ne verbo quidem mentio fit. Si populi dominatio Argis esset, populi non senatus esset legatorum orationes audire et de foedere faciendo cum eis agere, ut in Supplicibus est. Neque verisimile est in his rebus gerendis partes populi si ullae fuissent, aut Argivos aut Herodotum eos secutum in narrando neglecturos fuisse. Longe aliter res tum geruntur, cum vera populi dominatio est; nam brevi post pacem Niciae quae dicitur factam populus Argivorum summum momentum in foederibus ineundis sibi vindicat[12]. Sed alia testimonia allata sunt, quibus quo tempore Argis imperium populare coeperit, demonstraretur. Atque Herodotus quidem, (VI 83) post magnam illam cladem ante annum 491 a Cleomene acceptam[13] res Argis hoc modo gestas esse narrat: ser-

---

[11]) Cf. quae de auctoribus indigenis Herodoti disputavit B. Niese in Herm. vol. XLII anni 1907. 426 ss.

[12]) Thucyd. V 28.

[13]) Beloch, Griechische Geschichte I 349.

vos rerum potitos esse ut in urbe viris spoliata, postea a liberis Argivorum necatorum adultis eiectos Tirynthe consedisse. His verbis Herodoti non iusto iure Schömann et Lipsius [14]) fidem habuerunt, cum ea quae Argis gesta erant, in narratione Herodoti in maius aucta sint. Quae sic ut narrantur accidere non potuisse iam ex alio loco Herodoti ipsius (VII 148) apparet. Nam ei, penes quos ibi imperium est, foedus sunt icturi eo consilio, ut liberi necatorum adolescere possint. Quod qui poscunt servos non fuisse quivis videt. Erravit igitur Herodotus loco priore et suo iure Plutarchus [15]) contra Herodotum haec disputavit *ἐπανορθούμενοι δὲ τὴν ὀλιγανδρίαν οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ τοῖς δούλοις ἀλλὰ τῶν περιοίκων ποιησάμενοι πολίτας τοὺς ἀρίστους συνῴκεσαν τὰς γυναῖκας* adstipulante Aristotele [16]) qui civitatum statum mutata membrorum compositione mutari indeque populi dominationem interdum effici demonstraturus cum alia tum Argivorum exemplum affert: *ἐν Ἄργει τῶν ἐν τῇ ἑβδόμῃ ἀπολομένων ὑπὸ Κλεομένους τοῦ Λάκωνος ἠναγκάσθησαν παραδέξασθαι τῶν περιοίκων τινάς.* Hi igitur accolae e dicione dimissi quin cives facti sint, non licet dubitare; sed pauci fuerunt eique optimi neque his receptis quamquam novos illos cives populi dominationi favisse consentaneum est, statim populi dominationem institutam esse concludendum est. Ac ne alterum quidem testimonium, quo Schömann et Lipsius usi paullo post cladem a Cleomene acceptam potestatem a proceribus ad populum transiisse statuunt, quicquam valet, neque dicit id Pausanias, sed minora oppida ab Argivis deleta esse, quorum cives Argos traducti vix potestatem aliquam obtinere potuerunt; ceterum de tempore post pugnam Plataeensem cogitare Pausaniam apertum est (cf. p. 13) [17]). Atque haec de populo. Nunc

---

14) Griechische Altertümer I 177.

15) De virt. mul. 4 p. 245 F.

16) Politic. VIII (V) 1303 a.

17) Cf. Gilbert, Griech. Staatsaltert. II, 76; Busolt. Gr. Gesch. III 1. 117.

de rege Argivorum nonnulla dicenda sunt. Nam Pausanias (II. 19. 2) regem Meltam a populo expulsum esse narrat; tamen etiam post Meltam reges potentia quamvis minuta Argis fuisse Herodotus (VII 148) et Plutarchus[18]) testes sunt. Itaque ne ex eis quidem, quae de regibus Argivorum scimus, concludendum est, populi dominationem ante annum 480 Argis constitutam esse. Quod quo anno post a. 480 factum sit, testimoniis destituti ignoramus, sed J. Beloch[19]) recte mihi videtur iudicare, cum dicat rem publicam a populo rectam eodem fere tempore quo Thebis (nempe anno fere 479) Argis esse constitutam.

Itaque si verum esset Aeschylum in Supplicibus rei publicae Argivorum statum, qualis suo ipsius tempore erat, in animo habuisse, post a. 480 Supplices docta esset. Tamen hoc credere vetamur ea re, quod iam in fabulae huius forma qualis ante Aeschylum erat, contio populi maximi momenti fuisse videtur neque igitur necesse est, ut Aeschylus ideo quod populo hanc tantam potestatem tribuit, Argivorum sui temporis rem publicam ante oculos habuerit. Novimus autem eam fabulae formam ex Euripides Oresta 872

οὗ φασι πρῶτον Δαναὸν Αἰγύπτῳ δίκας
διδόντ᾽ ἀθροῖσαι λαὸν εἰς κοινὰς ἕδρας.

Ad quem locum in scholiis adnotatur: *ὅπου φασὶ πρῶτον Δαναὸν μετὰ τὸν θάνατον τῶν υἱῶν Αἰγύπτῳ δοῦναι δίκας· αὐτὸς γάρ ὁ Αἴγυπτος ἧκεν εἰς Ἄργος τιμωρήσων τὸν φόνον. Δαναὸς δέ μαθὼν ἐξῆγεν εἰς ὅπλα τοὺς Ἀργείους ἀλλὰ Λυγκεὺς πείθει λόγοις ὁρίσασθαι τὴν ἔχθραν καὶ καθιστῶσι δικαστὰς αὐτοῖς Αἰγυπτίων καὶ Ἀργείων τοὺς ἀρίστους [ὁ δὲ τόπος ἔνθα] ἡ ⟨δὲ⟩ δίκη ξυνήχθη περὶ τὴν μεγίστην*

---

[18]) De Alexandri sive virtute sive fortuna p. 416/7 Didot. *ἐξέλιπέ ποτε Ἀργείοις τὸ Ἡρακλειδῶν γένος ἐξ οὗ βασιλεύεσθαι πάτριον ἦν αὐτοῖς· ζητοῦσι δὲ καὶ διαπυνθανομένοις ὁ θεὸς ἔχρησεν ἀετὸν δείξειν· καὶ μεθ᾽ ἡμέρας ὀλίγας ἀετὸς ὑπερφανεὶς καὶ κατάρας ἐπὶ τὴν Αἴγωνος οἰκίαν ἐκάθισε, καὶ βασιλεὺς ἡρέθη Αἴγων.*

[19]) Griech. Gesch. I 451.

ἄκραν, ἔνθα καὶ Ἴναχος ἁλίσας τὸν λεὼν συνεβούλευσεν οἰκίζειν τὸ πεδίον, ὁ δὲ τόπος ἐξ ἐκείνου Ἁλιαία καλεῖται. Easdem populus partes egit in ea fabula, quae apud Pausaniam (II. 19. 3) legitur: Δαναὸς δὲ ἱδρύσατο Λύκιον Ἀπόλλωνα ἐπ' αἰτίᾳ τοιαύτῃ. παραγενόμενος ἐς τὸ Ἄργος ἠμφισβήτει πρὸς Γελάνορα τὸν Σθενέλα περὶ τῆς ἀρχῆς· ῥηθέντων δὲ ἐπὶ τοῦ δήμου παρ' ἀμφοτέρων πολλῶν τι καὶ ἐπαγωγῶν καὶ οὐχ ἧσσον δίκαια λέγειν τοῦ Γελάνορος δοξάζοντος ὁ μὲν δῆμος ὑπερέθετό φασιν ἐς τὴν ἐπιοῦσαν κρίνειν κ. τ. λ. Nec minus in discidio Atrei et Thyestis contio populi valebat: cf. Schol. Eur. Or. 811 ἔλεγε δὲ αὐτὸς ἐν τῷ πλήθει κ. τ. λ. Qua re res Danaïdum populi arbitrio diiudicandas permissas esse Aeschylus iam in antiqua fabula invenit eamque secutus est. Qui cur iterum atque iterum commoneret penes populum potestatem esse, si quis quaesiverit, non tam Argivorum quam Atheniensium rei publicae causa eum adductum esse respondebimus. Regem vero qui in Supplicibus est, ne illum quidem cum eo rege, quem etiam anno 480 Argis fuisse scimus, comparare licet; nam cum in fabula ipsa rex Argorum esset, rege Aeschylum non potuisse carere luce clarius est, etiam si nullus eo tempore Argis rex fuisset. Est autem rex Supplicum neutiquam merus populi magistratus aut impotens minister rationi reddendae obstrictus, qualem vulgo credunt illumque regem Argivorum ab Herodoto (VII 148) memoratum sibi fingunt, sed regiam potestatem se tenere et exsequi posse ipse testatur v. 399 s.

. . . οὐκ ἄνευ δήμου τάδε
πράξαιμ' ἂν οὐδέ περ κρατῶν

„nolo sine populo haec gerere quamquam imperium teneo". Quare ut de Danaïdibus recipiendis ad populum referat, non necessitate muneris cogitur, sed sua sponte et voluntate movetur. Contra v. 698/9

φυλάσσοι δ' ἀτρεμαῖα τιμάς
τὸ δάμιον τὸ πτόλιν κρατύνει

chorus populare aliquod imperium indicat. Itaque eo ipso quod rem incerti aliquid habere apparet, Aeschylum certam quandam rei publicae formam publicam ante oculos habuisse veri dissimile est. His perpensis nullam invenio in Supplicibus similitudinem rei publicae cum ea quae Argis fuit. Immo hoc modo mirum illud civitatis genus quod in Supplicibus est mea quidem sententia explanandum est. In fabulis enim erat rex *αὐτοκράτωρ* exemplisque allatis apparet factum esse, ut rex sicuti in carminibus Homericis in rebus gravioribus diiudicandis populum convocaret. Tragicus autem Atheniensis, cum populus Atheniensium posceret, ut populi potestas emineret aut certe *πόλις* ostenderetur, populo multum tribuit, regem populi iudicium aestimare voluit; id quod non solum in Supplicibus apparet, sed etiam in Septem, ubi rex *πόλιν* tanti facit, ut et mori et urbem servare velit. Ac ne in Agamemnone quidem populus neglegitur; cf. v. 844/5

> *τὰ δ' ἄλλα πρὸς πόλιν τε καὶ θεοὺς*
> *κοινοὺς ἀγῶνας θέντες ἐν πανηγύρει*
> *βουλευσόμεσθα.*

In Eumenidibus vero rex omnino deest; cuius locum Minerva obtinet. Videmus igitur poetam, sive tragoedia Argis sive Thebis sive Athenis agitur, idem id petentem, ut populum, quatenus fieri potest, in re publica plurimum valere dicat. De vero igitur harum rerum publicarum statu ex tragoediis nihil licet concludere. Quam maxime autem in eo, quod rex inducitur, qui nisi populo secundo nihil agere vult, Aeschyli Supplices cum Euripidis fabulis et Sophoclis Oidipode *β'* congruit. Ac talis rex populo favens iam ante Aeschylum Pisistratidarum temporibus Theseus haberi Athenis coeptus est.[20]) Ab huius regni, non verae Argivorum rei publicae

---

[20]) Cf. E. Meyer, Gesch. d. Altert. II 775. Paus. I. 3, 2. *κεχώρηκε δὲ φήμη καὶ ἄλλως ἐς τοὺς πολλοὺς ὡς Θησεὺς παραδοίη τὰ πράγματα τῷ δήμῳ καὶ ὡς ἐξ ἐκείνου δημοκρατούμενοι διαμείναιεν, πρὶν ἢ Πεισίστρατος ἐτυράννησεν ἐπαναστάς.*

imitatione Aeschylum pependisse puto, cum fictam illam, quae nunquam fuit, rei publicae imaginem pingeret. Quare quod historicis quoque argumentis Supplices ante annum 480 poni Körtius gaudet, frustra gaudet.

Inter argumenta historica Maassii[21]) quoque observationem afferam, qui Ionem et Argum custodem in Hesiodi Catalogis Mycenis, Argis apud Aeschylum versari monuit; quod factum esse propter rerum vicissitudines, cum paullo post pugnam Plataeensem Mycenaeos et Tirynthios in dicionem Argivorum redactos ipse poeta vidissit. Pergit deinde Maassius ut ipsius verbis utar: „Simul, inquit, cum loco fabulae mutato alius Ius pater in tragoediam inductus videtur, quem Inachum Aeschylus Pirenem Hesiodus vocaverat. Ex Mycenaeorum memoria Pirenem „Hesiodus", ex Argivorum Inachum Ius patrem Aeschylus aperto consilio desumpsit. Idem fortasse de Danaidum hospite Pelasgo rege, Palaechthonis ex Terra nati filio, quem Gelanorem nominat Hesiodus, statuendum est." Itaque si verum esset Aeschylum Argivorum memoriam sequi[22]) ideo, quod Argivi Mycenaeos brevi ante vicerant, Supplices post annum 464 ponenda esset. Nam post illum demum annum non statim post pugnam Plataeensem Mycenas, quarum incolae ab Argivis post annum 493/2 defecerant, expugnatas et deletas esse constat[23]). Sed haec argumenta historica procul habenda sunt, quod Aeschylum non ob eam causam Argivorum memoriam sibi sumpsisse putamus. Nam si Danaides se Argis oriundas esse erant demonstraturae,

---

λέγεται μὲν δὴ καὶ ἄλλα οὐκ ἀληθῆ παρὰ τοῖς πολλοῖς οἷα ἱστορίας ἀνηκόοις οὖσι καὶ ὁπόσα ἤκουον εὐθὺς ἐκ παίδων ἔν τε χοροῖς καὶ τραγῳδίαις πιστὰ ἡγουμένοις, λέγεται δὲ καὶ ἐς τὸν Θησέα.

21) Comment. de Aeschyli Supplicibus. Ind. lect. Gryphiswald. 1891. p. XXIX.

22) Ut Pindarum fecisse in Nem. X. carmine Dissenus coniecit.

23) E. Meyer, Gesch. d. Altert. III 325. Busolt, Griech. Gesch. III 243.

quomodo omnino poterant Ionem Mycenaeam dicere! Immo necesse erat ut Argivorum memoriam poeta sequeretur, quod cum rege Argivorum res agebatur. Accedit quod reditus prolis Ioneae nunquam, ni fallor, Mycenis narratus esse potest, sed semper Argis, ut quae urbs propius a mari aberat. Et multo gravius Maassius peccavit. Nam primum quidem in terra Argiva (*Ἀργείᾳ χθονί*) Mycenae quoque sitae erant. Tum Mycenae, quas a Perseo conditas esse omnes auctores consentiunt, Ius tempore nullae erant; quodsi Aegimii auctor revera Ionem Mycenis versantem fecisset, tempora mythica mirum in modum neglexisset. Quod cur statuamus, nullo omnino causa est. Nititur enim Maassii opinio verbis Apollodori II, 1, 3, 3 *οὗτος ἐκ τῆς ἐλαίας ἐδέσμευσεν αὐτὴν ἥτις ἐν τῷ Μυκηναίων ὑπῆρχεν ἄλσει.* Fac Apollodorum his verbis Aegimii narrationem reddere, id quod minime certum est, tamen nemo qui mythographorum consuetudinem perspectam habeat, ideo singularia omnia ad eundem fontem referet; velut hoc loco *τὸ Μυκηναίων ἄλσος* aut aliunde desumptum[24]) aut ex ipsius ingenio ab Apollodoro additum *Ἡραῖον* significat, quod propius a Mycenis est quam ab Argis. Argis vero fabulam locum habere iam ipsa Argi figura arguit. Tum Peirenus, quem Mycenaeum fuisse Maassius putat, Argi filius, sine dubio Argivus est, idemque de Gelanore valet, de quo multae Argis narrabantur fabulae.

Nonnullis autem locis poetam quasi invitum tempus fabulae indicantem deprehendere viri docti sibi visi sunt. Ac primus quidem Buechelerus[25]) e versibus 144 ss. aliquid

---

[24]) Cf. Plin. XVI 239 Argis olea etiamnunc durare dicitur, ad quam Io in vaccam mutatam Argus adligaverit. Cf. et Strab. V. 221 *Αἰσχύλος δ' ἐκ τοῦ περὶ Μυκήνας Ἄργους* (ne de alia eiusdem nominis urbe cogitetur) *φησὶν ἐν Ἱκετίσιν ἢ Δαναΐσι τὸ γένος αὐτῶν;* at ubi hac in fabula Mycenarum nomen occurrit? Aeschylum nusquam in fabulis suis Mycenas commemorare observavit E. Curtius, Peloponnesos II 570 adn. 31.

[25]) Rhein. Mus. XL 627 ss.

de hac re disci posse putavit. Hi sunt versus ita ut Buechelerus restituit, a choro cantati:

θέλουσα δ' αὖ θέλουσαν ἁ-
γνα μ' ἐπιδέτω Διὸς κόρα
ἔχουσα σέμν' ἐνώπι' ἀσφαλές,
παντὶ δὲ σθένει
διωγμοῖς ἀσφαλέας
ἀδμῆτας ἀδμήτα
ῥύσιος γενέσθω.
σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς
εὐνὰς ἀνδρῶν, ἐή,
ἄγαμον ἀδάματον ἐκφυγεῖν.

Putat enim Buechelerus, si dea quaedam Athenis invocetur *ἁγνὰ Διὸς κόρα* accuratius non significata, de nulla dea cogitari posse nisi de Minerva. Optime etiam hoc convenire, quod virginem deam, ut virginitatem tueatur, chorus imploret. Quae autem esse *σεμνὰ ἐνώπια*? Cur poetam subito de sanctis parietibus verbis minime dilucidis loqui neglecta usitata ratione apertius significandi? Cur eum tutos hos parietes a dea haberi tam diligenter premere? Hoc intellegi non posse nisi de templo aliquo e theatro conspicuo. Et Buechelerus censet poetam his verbis significare novum illud Minervae templum quod Athenienses post invasionem Persarum repulsam pulcherrimum sempiternumque deae suae fuerint constructuri. Haec cum Buechelerus scriberet, non satis constabat quo tempore Parthenon exstructus esset. Itaque pro verisimili habuit Supplices post foedus inter Athenienses et Argivos ictum, cum Athenienses in Aegypto bellum gererent, anno sive 460 sive 459 scriptam esse. Sed haec sententia stare non potest. Primum enim eo tempore, quo Athenienses cum Aegyptiis coniuncti contra Persas pugnabant, Aeschylus in theatro Attico tam contemptim de sociis Atheniensium Danaum et regem loquentes facere non poterat ut fecit v. 760/1.

ἀλλ' ἔστι φήμη κρείσσονας λύκους κυνῶν
εἶναι· βύβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν
et 952/3 ἀλλ' ἄρσενάς τοι τῆσδε γῆς οἰκήτορας
εὑρήσετ' οὐ πίνοντας ἐκ κριθῶν μέθυ.

Immo cum Aegyptii per totam fabulam infesti viles contempti sint, id mihi quidem constare videtur Supplices post annum 461, quo anno Athenienses cum Aegyptiis foedus inire coeperunt, doctam esse non posse[26]. Praeterea postquam Buechelerus suam sententiam protulit, inscriptionibus inventis innotuit[27] novum Minervae templum anno demum 447, novem annis post Aeschyli mortem, inceptum esse. Quam igitur Buechelerus voluit ratio non intercedit inter hoc templum et σεμνὰ illa ἐνώπια. Praeterea Parthenon etiamsi ante a. 460 coeptus esset, anno 460 nondum ad finem perductus fuisset. Ac ne in id quidem Minervae templum, quod ante Periclem eodem loco exstrui coeptum erat, cum nunquam super crepidoma eductum sit, ea verba quadrant.

Sed illorum versuum aliae interpretationes propositae sunt. Loeschkius[28] enim cum Buechelero in hac re consentit, quod ad novum aliquod aedificium, quod Athenienses in arce exstruxerint, eos referendos esse censet. Quod tamen non templum Minervae esse sed murum meridionalem, quem Cimon parta in pugna ad Eurymedontem commissa praeda exstruendum curaverit, qui e theatro conspicuus fuerit. Quod si statuatur melius intellegi posse vim verborum, quibus firmitas parietum laudetur. Itaque Supplices post exstructum illum murum circa annum 460 doctam esse pro explorato habet. Eandem sententiam nuper denuo professus est[29]. Quem murum unicum tunc in arce fuisse, magnificam speciem praebens monumentum,

26) Cf. Droysen. Aeschylus Tragoedien übersetzt p. 573.
27) Jahn-Michaelis. Arx Athenarum 94.
28) Programm d. Dorpater Universität 1885, 7 Adn. 5.
29) Jahrbuch d. archäol. Instit. 1904. 22.

quod videntes Athenienses delectari potuerint. Apertum autem esse illos versus Athenis de sola Minerva, nullo modo de Diana, intellegi potuisse. Loeschkii sententiae Dörpfeldius quoque adstipulatus est[30]). Tamen ne horum quidem virorum doctissimorum opinio stare potest. De singulari enim muro nullo modo *ἐνώπια* dicere licet. Immo testimoniis traditis perlustratis *ἐνώπια* non moenia muniendi causa exstructa, sed parietes domuum significare videmus. Hoc sensu quatter apud Homerum id vocabulum legitur.

Θ 435 =	*δ* 42	*ἅρματα δ' ἔκλιναν πρὸς ἐνώπια παμφανόεντα*
	δ 43	*αὐτοὺς δ' εἰσῆγον θεῖον δόμον*
Ν 260/1		*δούρατα . . . . . ἑστάοτ' ἐν κλισίῃ πρὸς ἐνώπια παμφανόεντα*
χ 120		*τόξον μὲν πρὸς σταθμὸν ἐϋσταθέος μεγάροιο ἔκλιν' ἑστάμεναι πρὸς ἐνώπια παμφανόεντα.*

Antiquorum grammaticorum interpretationes servavit Hesychius s. v. *ἐνώπια· τὰ καταντικρὺ τοῦ πυλῶνος φαινόμενα μέρη ἃ καὶ διεκόσμουν ἕνεκα τῶν παριόντων*, et s. v. *προνώπια· τὰ ἔμπροσθεν τῶν πυλῶν, καθάπερ ἐνώπια τὰ ἔνδον, ὅπου αἱ εἰκόνες τίθενται*. Apparet igitur *ἐνώπια* esse parietes domus aut accuratius vestibuli. Certam autem domus partem *ἐνώπια* significare neque de quibuscunque aedificiis dici posse etiam magis apparebit, si comparabimus *προνώπια*, quod vocabulum saepius ab Euripide adhibitum est, velut *Βάκχ.* 638 *ὡς δέ μοι δοκεῖ ψοφεῖ γοῦν ἀρβύλη δόμων ἔσω,*
εἰς προνώπι' αὐτίχ' ἥξει

de aedificii fronte adhibetur; itaque Bacchus ubi e domo egressus est, a Pentheo compellitur v. 645

ὅδ' ἐστὶν ἀνήρ· τί τάδε; πῶς προνώπιος
φαίνει πρὸς οἴκοις τοῖς ἐμοῖς ἔξω βεβώς;

Atque audacius dictum de terrae situ invenitur

Ἱππόλ. 373. *Τροιζήνιαι γυναῖκες, αἳ τόδ' ἔσχατον*
οἰκεῖτε χώρας Πελοπίας προνώπιον

---

30) Athen. Mitteil. XXVII 1902. 379.

Hunc versum illustrat Hesychius s. v. *προνώπιον· τὸ προκείμενον· οἷον πρόθυρον.* Hoc igitur vocabulum anticos domus parietes aut vestibulum significat; cuius vestibuli parietes interiores *ἐνώπια* intellegenda sunt. Itaque *προνώπιον* fortasse murus Cimonis vocari poterat, *ἐνώπιον* nullo modo. Praeter Homerum et Aeschylum Alcaeus quoque hoc vocabulo usus est[31]), in carmine nuper reperto, cuius hae sunt miserae versuum relliquiae

v. 12 ss. . . . .] *μοι μεθύων ἀείσης*
. . *θα*] *λάσσας φειδόμεθ' ὡς κῆρον*
. . . .] *νοείδην αἶθρον ἐπημένοι*
. . . .] *αθεντες ὡς τάχιστα*
. . . .] *αδαν καμάκων ἑλόντες*
. . . *λ*] *ύσαμεν πρό τ' ἐνώπια*
. . . .] *ποντες καὶ κ'ἴθαρώτεροι κ. τ. λ.*

Quod fragmentum qui edidit et explanavit Schubartius *ἐνώπια* sensu laterum navis scilicet internorum accepit; sunt igitur in hoc quoque fragmento parietes inter se oppositi, non singularis murus. In Aeschyli loco *ἐνώπια* manet aedificia esse propter verbum *ἔχουσα*, quod cum vim habeat „tenendi, possidendi", cui vis „tuendi" admisceatur, aperte sedes deae, aedificium scilicet indicat.[32]) Atque

---

[31]) Berliner Klassikertexte. Vol. V 2. 1907. (XII 2, 17.)

[32]) Ceterum mihi non plane persuadere possum *ἐνώπια* apud Alcaeum eam significationem habere quam Schubartius vult. Nam nihil obstat quin illo loco *ἐνώπιος* adjectivum, subsit, quod apud Theocritum 22, 152 *ἦ μὴν πολλάκις ὔμμιν ἐνώπιον ἀμφοτέροισιν αὐτὸς ἐγὼ τάδ' ἔειπα* legitur. Nam huius carminis scaenam in mari fuisse Schubartio non credo. Qui si explanat „aus dem was sich allenfalls verstehen lässt, vermag ich nur so viel zu entnehmen, dass der Inhalt eine Aufforderuug zum Trinken ist. Der Dichter und ein Gefährte haben ihr Boot auf dem Wasser angehalten und wollen nun die Ruder einziehen, um sich erst einmal durch einen Trunk zu erwärmen", qui in naviculam quadrent *κέραμον μέγαν* [i. e. cratera] (v. 9) *μεθύων ἀείσης* [an in navi laborante?] (v. 12) *ἅπτετε πῦρ μέγα* (v. 26), non intellego. Quae omnia multo melius ad *συμπόσιον* conveniunt, quod Alcaeus totiens descripsit; cui interpretationi etiam *δόμοις* (v. 2) favet; eam

hoc vocabulum minime glossam poeticam fuisse, sed ne a sermone quidem cotidiano alienum aut certe architectorum proprium titulus docet Deliacus[33]) a Körtio allegatus saeculo secundo a. Chr. n. exaratus, ubi legitur: *ἐργολαβήσαντι ποιῆσαι κεφαλὴν ἑκατέρῳ ἐνωπίῳ τῶν στοῶν.* Agitur igitur de utriusque lateris fastigio.[34]) Itaque et in titulo Deliaco et apud Alcaeum *ἐνώπια* interiores frontes parietum lateralium sunt, quarum altera alteri opposita est, cum Hesychii verba s. *ἐνώπια* (*τὰ καταντικρὺ τοῦ πυλῶνος φαινόμενα μέρη κ. τ. λ.*) ad eum parietem spectare videantur, qui et intranti et praetereunti adversus est, itaque medius inter illos parietes est et portam continet. Sed in altera Hesychii glossa latior vocabuli significatio inveniri videtur cum *ἐνώπια τὰ ἔνδον* (scil. *τῶν πυλῶν*) esse tradantur, *ὅπου αἱ εἰκόνες* scil. imagines cum familiae tum aliarum personarum *τίθενται.* Itaque omnino *ἐνώπια* interiores parietes esse videntur, qua cum explicatione facit huius vocabuli etymon; nam ut F. Bechtelius me docuit, *προνώπια* sunt *τὰ προ-ενώπια*; cf. *προσχάραιον* in titulo Lindio[35]), quod nomen Dittenbergerus primus ex *προ-εσχάραιον* ortum esse intellexit. Atque praecipue hoc vocabulum de vestibulorum aut porticuum parietibus adhiberi videtur, sicut apud Homerum, eorum scilicet aedificiorum, quae uno latere aperta sunt, id quod de navi quoque superne aperta valet. Ac Körtius parietes, quos tamquam firmam

---

autem scaenam quae in mari est, poeta digressione quadam facta carmini incluserat; sic aoristus quoque *λ]ύσαμεν* intellectum habet; quem Schubartius in *λ]ύσαιμεν* emendare cogitur. Quae si ita sunt, nil impedit quin hoc quoque loco *ἐνώπια,* nisi adiectivum fuit, parietes domus aliquo modo fuerint, quod vocabulum alio sensu quam Homerum Alcaeum adhibuisse verisimile non est.

[33]) Dittenb. Syll.² 588. 245.

[34]) *κεφαλὴν* parietis dicit, ut apud Poll. VII 121 *κιόκρανα αἱ κεφαλαὶ τῶν κιόνων* dicuntur. Körtius vertit „der obere Abschluss".

[35]) Dittenb. Syll.² 626.

deae sedem poeta celebrare potuisset, post bella Persica, priusquam nova templa exstrui coepta essent, in arce fuisse negat; sed fuisse ante haec bella, nempe Propylaea, quo prius nullum in arce aedificium marmore exstructum est: in haec et Aeschyli versus et vocabulum ἐνώπια optime quadrare. Itaque fieri non posse quin Supplices ante annum 480 doctam esse putemus. Sed Körtio obiciendum est hanc interpretationem infirmam esse. Nam ante a. 480 arcis aedificium longe nobilissimum Hekatompedon erat. Cur non de eo Körtius cogitat? An quod recte sensit ἐνώπια Propylaeorum propria esse? At cum duo aedificia eidem deae sacrae sint, nonne mirum est id quod minus nobile minusque sanctum eorum erat celebrari? Aut quod tutelam Propylaea praebebant? Sed non praebebant; porta erant speciosa. Firmitati arcis Pelargicon illud enneapylon serviebat. Deubnerus quoque de Propylaeis cogitat. Valde tamen a Körtio dissentit ,cum dicit ut ipsius verbis utar: „Also sind an der obigen Stelle die Propyläen der Akropolis zu verstehen, welche und in welchem Zustande sie immer waren. Das Wort ἀσφαλές bezieht sich auf die Sicherheit der Akropolis und des Landes vor der Persergefahr, und die Hiketiden sind bald nach 479 aufgeführt, die Perser folgen 472.“ Sed quod Deubnerus ἔχουσα σέμν' ἐνώπι' ἀσφαλές de aedificio misere destructo ac deleto dici posse contendit, nemo ei credet. Praeterea contra Deubnerum eadem valent ac contra Körtium. Accedit quod post a. 480 versus illi, si recte a Körtio et Deubnero explicata essent, cavillatione quadam non egerent. Diceret enim Aeschylus „templum tuum crematum, sed habes Propylaea superba.“ Tum vetera illa Propylaea ita sita erant, ut a theatro ne conspici quidem possent; nam Pelargici muro altissimo occultabantur. Errant denique ei qui de aedificio Atheniensi cogitant, in hoc quoque, quod tutelam, quae a numine speranda erat, aedificium huic numini praebere contendunt, ita ut sensum Aeschylo imputent impietatis plenum: „Minerva, habes firmum templum sive firmum murum: Persas noli

timere.“ Itaque quae Körtius et Deubnerus protulerunt, probanda non sunt.

Quae cum ita sint, apparet ad nullum arcis Atheniensis aedificium verba *ἐνώπια σεμνά* spectare posse; de alio aedificio Atheniensi, quod in urbe ad pedes arcis locum habuerit, certe nemo cogitabit. Itaque de templo Argivo sive vero sive ficto agitur. Sed ante omnia nunc nobis videndum est, quaenam dea Iovis illa puella sit. Negavit Buechelerus in fabula Attica ullam deam praeter Minervam *Διὸς κόραν* dici potuisse, nisi alia adderentur, quae eius deae propria essent. Aliter senserunt Tittlerus[36]) et Kruse[37]) et praecipue Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff[38]), qui de Diana cogitaverunt. Godofredus Hermannus vero eo processit, ut *Ἄρτεμις* pro *ἀσφαλές* restituere vellet. Etiam Michaelis de Diana, non, ut Loeschkio visum est, de Minerva cogitare videtur, cum in Pausaniae arcis descriptione edenda versus Aeschyleos inter testimonia ad Hecaten spectantia afferat[39]). Quos viros doctos recte iudicavisse hisce argumentis demonstrari potest.

Ac primum quidem *Διὸς κόρη* et Minerva et Diana vocari potest.

Minervae documento sunt hi loci:

Hom. β 433 *ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Διὸς γλαυκώπιδι κούρῃ.*

Aesch. Eum. 415. *πεύσει τὰ πάντα συντόμως, Διὸς κόρη.*

Eur. Ion. 21. *Ἐριχθονίου· κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη*
φρουρὼ παραζεύξασα φύλακε σώματος
δισσὼ δράκοντε, παρθένοις Ἀγλαυρίσι
δίδωσι σῴζειν·

Eur. Phoin. 1372. *Ἐτεοκλέης δὲ Παλλάδος χρυσάσπιδος*
βλέψας πρὸς οἶκον ηὔξατ'· ὦ Διὸς κόρη
δὸς ἔγχος ἡμῖν .... βαλεῖν

---

36) Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1838, 999.
37) In editione Supplicum 1861.
38) Herm. XXI. 609 adnot.
39) Jahn-Michaelis, Arx Athenarum p. 44.

Eur. Troad. 525. τόδ' ἱερὸν ἀνάγετε ξόανον
'Ιλιάδι Διογενεῖ κόρᾳ.
ibid. 561. κόρας ἔργα Παλλάδος.
Arist. Thesm. 317. καὶ σὺ παγκρατὴς κόρα
γλαυκῶπι χρυσόλογχε πόλιν
οἰκοῦσα περιμάχητον, ἐλθὲ δεῦρο.

Praeterea de rebus nonnullis ad Minervam spectantibus, quae a vocabulo κόρη nomen duxerunt, vide Prellerum et Robertum in Mythol.[4] 187. 3.

Diana autem his locis Διὸς κόρη nominatur:

Hom. I 536. οἴῃ δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο.
ζ 151. Ἀρτέμιδί σε ἐγώ γε, Διὸς κούρῃ μεγάλοιο.
Eurip. Troad. 551. ss. ἐγὼ δὲ τὰν ὀρεστέραν
τότ' ἀμφὶ μέλαθρα παρθένον
Διὸς κόραν ἐμελπόμαν
χοροῖσι.
Iphig. Aul. 1469. παιᾶνα τὴμῇ συμφορᾷ Διὸς κόρην
Ἄρτεμιν
ibid. 1521. ἀλλὰ τὰν Διὸς κόραν
κλῄσωμεν Ἄρτεμιν.
ibid. 1543. ἐπεὶ γὰρ ἱκόμεσθα τῆς Διὸς κόρης
Ἀρτέμιδος ἄλσος.
Hippol. 15. Φοίβου δ' ἀδελφὴν Ἄρτεμιν Διὸς κόρην.
ibid. 713. ὄμνυμι σεμνὴν Ἄρτεμιν Διὸς κόρην.

Accedit epigr. saec. fere II.[40])

Νόσσος Μυρμιδόνος κούραν Διὸς ἄνθετο παῖδα
Ἄρτεμιν εὐόλβῳ τῷδε παρὰ προπύλῳ.

Luculento autem exemplo sunt hi loci Euripidei, ubi nullo cognomine addito Διὸς κόρη Diana est

Iph. Taur. 1384. τό τ' οὐρανοῦ πέσημα, τῆς Διὸς κόρης
ἄγαλμα.
Iph. Aul. 1445. βωμὸς θεᾶς μοι μνῆμα τῆς Διὸς κόρης.
et Apoll. Rhod. IV. 334. ἁζόμενοι κούρην Διός.

[40]) Kaibel. Epigr. Gr. 786.

Sed maximi momenti sunt
Soph. Trach. 637. χρυσαλακάτου τ' ἀκτὰν κόρας.
epigramma Antipatri[41])

> δέρμα δὲ καὶ δικέραιον ἀπὸ στόρθυγγα μετώπων
> σπασσάμενος, κούρᾳ θῆκε παρ' ἀγρότιδι

et Callim. III. 72. κοῦρα, σὺ δὲ προτέρω περ κ. τ. λ. Quibus locis κούρα paene vim nominis proprii habet. Et re vera habemus *Κόραν* in Thessalia (I. G. A. 324), *Κορίαν* in Arcadia (Callim. III. in Dian. 234), *Κοράσια* Megaris.[42]). Obiciat aliquis testimonia illa praeter versum Sophoclis posterioris aetatis esse et priora non multum valere, quod aut ex adiectivis aut ex toto sermone de Diana agi appareat. Sed neque Minerva usquam κούρη sine adiectivo appellatur et quod de locis, quibus Diana κούρη Διός audit, dicunt, idem de locis, quibus Minerva ita vocatur, dicendum est. Ceterum in fabulis Atticis Minerva quinquies, Diana sedecies κόρη vel Διὸς κόρη vocatur.[43]) Inde sequitur, ubi Διὸς κόρα legitur, certe eodem iure de Diana ac de Minerva cogitari posse.

Nec desunt quae Buechelerus se desiderare dicit, Dianae signa. Nam primum ἁγνὰ vocatur Διὸς illa κούρα. Minervae hoc cognomen locis admodum paucis tribuitur: in Lamproclis fragmento[44])

> Παλλάδα περσέπολιν κλῄζω πολεμαδόκον ἁγνὰν
> παῖδα Διὸς μεγάλου δαμάσιππον,

a Simmia in securi 8 ἁγνὰ πολύβουλε Παλλάς,
in epigrammate quodam[45]) saeculi IV exeuntis sive III ineuntis

> ἤ]γαγεν εἰς ναὸν περικαλλέα Παλλάδος ἁγνῆς,

---

41) Anthol. Pal. VI. 111. v. 5/6.
42) Cf. Preller-Robert Mythol.⁴ p. 320. 4.
43) Cf. ea quae collegit Bruchmann Epitheta deorum 1893.
44) P. L. G.⁴ III p. 554 Bergk.
45) Kaibel Epigr. Gr. 850, 3.

in inscriptione denique Assis anno 37 p. Chr. n. exarata[46]. Ὀμνύμεν Δία Σωτῆρα καὶ θεὸν Καίσαρα καὶ τὴν πάτριον ἁγνὴν Παρθένον. Quam deam Minervam esse Dittenbergerus coll. Pap. of the Am. School I 33 n. XIV. III. probabile reddidit.

Accedit quod haec testimonia praeter Lamprodis versus recentiora sunt. In fabulis vero atticis nullum omnino exemplum invenitur.

Contra Diana a pluribus et antiquioribus testibus ἁγνή vocatur. Iam in carminibus Homericis ter occurrit Ἄρτεμις ἁγνή:

ε 123 ἕως μιν ἐν Ὀρτυγίῃ χρυσόθρονος Ἄρτεμις ἁγνή.
σ 202 αἴθε μοι ὣς μαλακὸν θάνατον πόροι Ἄρτεμις ἁγνή.
υ 71 .... μῆκος δ' ἔπορ' Ἄρτεμις ἁγνή.

Exstat Simonidis[47] versus

ἔνθα καλεῖται
ἁγνᾶς Ἀρτέμιδος τοξοφόρου τέμενος

et Aristoph. v. Eccl. 970/1 μέλπουσα καὶ τὴν τοξοφόρον
Ἄρτεμιν ἄνασσαν ἁγνήν

Ἁγνοτάτη epiclesis Dianae erat in Lycia[48]. Andaniae vero Cereris filia, quam Dianae simillimam esse nemo neget, Ἁγνή vel Ἁγνώ vocabatur[49].

Quid? quod Aeschylus ipse in Agamemnone (135) dicit:

οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνά

Maximi denique momenti est, quod Supplices ipsae, cum Minervae nusquam per hanc totam fabulam mentio fiat,[50] Dianae misericordiam simillimis ac supra (v. 145) usae verbis implorant (v. 1031):

46) Dittenberger Syll.² I. 364. 19.
47) P. L. G.⁴ 3 frg. 107 v. 3/4.
48) Benndorf Reisen in Lycien 77.
49) Preller-Robert Mythol.⁴ 251, 3.
50) Minerva hac in fabula neglegitur, quae nisi neglegeretur maximas partes habuisse debebat; nam Minervae consilio Danaus fugam parat, Minervae simulacrum Lindi consecrat, Schol.

ἐπίδοι δ' Ἄρτεμις ἁγνὰ
στόλον οἰκτιζομένα μηδ' ὑπ' ἀνάγκας
τέλος ἔλθοι Κυθερείας.

Cum his compares v. 145 ἁγνά μ' ἐπιδέτω Διὸς κόρα. Hoc ut casu factum sit, tantum abest, ut manifesto consilio poeta chorum ad priores preces respicientem fecisse putandus sit. Ἀδμήτα denique tertium cognomen Dianae solius proprium est:

Sophocles El. 1239. ἀλλ' οὐ μὰ τὰν ἄδμητον αἰὲν Ἄρτεμιν et Nausicaam cum Diana comparans Homerus dicit (ζ 109):

ὥς ἥ γ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής

Minerva nunquam sic appellatur; nam in Soph. Ai. v. 455

νῦν δ' ἡ Διὸς γοργῶπις ἀδάματος θεά

non propter virginitatem ἀδάματος dicitur, sed propter fortitudinem.

Atque haec de nominibus. Quae cum satis sint ad deam quae invocetur significandam, accedit, quod et munera eius deae, quam Supplices invocant, Dianae sunt. Orant enim atque obsecrant, ut cum ipsa virgo sit, virgines se tueatur. Quod munus non tam Minervae quam Dianae in religione Graecorum attribuitur; Dianam castitatis patronam fuisse permultis locis evincitur; exempli gratia afferam ipsius Dianae verba in Eur. Hippolyto v. 1301

. . . τῆς γὰρ ἐχθίστης θεῶν
ἡμῖν ὅσαισι παρθένειος ἡδονή.

Cf. Theocr. 27, 15 φεῦ, φεῦ τᾶς Παφίας χόλον ἅζεό καὶ σύγε κώρα-
χαιρέτω ἁ Παφία μόνον ἵλαος Ἄρτεμις εἴη.

Atque ea quoque verba de quibus controversia est, quam optime ad indolem Dianae quadrant. Vidimus enim ἐνώπια propria esse propylaeorum. Multa autem exstant testimonia, unde portarum patronam Dianam fuisse apparet. Atque apud Aeschylum ipsum legebatur: δέσποιν' Ἑκάτη

Il. A. 42. Herod. II. 182. Diod. V 58. Itaque Minerva iuxta Iovem memoranda fuisset. Sed consulto eam omisit neque v. 188 ss. in ἀγωνίων θεῶν numero habuit, ne inter Dianam et Venerem tertia dea intercederet v. 1031—1042. cf. Eur. Hipp. 88 ss.

τῶν βασιλείων πρόδομος μελάθρων (frg. 378 N[2]); eodem sensu in Sept. 449 προστατηρία nominatur; epigramma Halicarnassense iam supra attuli[51]). Praeterea iuvat meminisse in ipsa Aeschyli patria Dianae cognomen ab hoc munere ductum fuisse teste Pausania (I. 38, 6): Ἐλευσινίοις δὲ ἔστι μὲν Τριπτολέμου ναός, ἔστι δὲ Προπυλαίας Ἀρτέμιδος καὶ Ποσειδῶνος πατρός. Fuit denique in arce Athenarum prope propylaea Dianae Hecatae et cultus et effigies[52]). Itaque de Diana quae omnibus propylaeis in universum praeest, Aeschylus in universum dixit ἔχουσα σέμν' ἐνώπι' ἀσφαλές, cognomen Προπυλαίαν et circumscribens et amplificans. Nam ἔχουσα est „quae tenes", ἀσφαλὲς ἔχουσα „quae tueris tuo numine". Quam deam ut ipsarum introitum videat, Supplices virgines implorant. In hanc interpretationem sententiarum quoque tenore ducimur, qui in stropha et antistr. ζ' (v. 134 ss.) sic decurrit: huc usque navis me fugientem servavit, nunc tu bonum exitum rei des, Iupiter, qui omnia vides, et tu dea virgo, quae introitus tueris, introitum virginum propitia videas. Quid in hoc sententiarum connexu Minerva velit, haud facile quisquam explanet. Qui tenor sententiarum quem poeta aperte quaesivit, solummodo si Diana invocatur remanet; verum si chorus repente cuius personam sustineat oblitus Minervam appellat, turbatur[53]). Favent denique nostrae interpretationi versus supra allati (Suppl. 1031 ss.) nam utrobique (144 ss. et 1031 ss.) sententiae inter se plane respondent: vide propitia examen nostrum, a nuptiis invisis tuere; quare eandem in utraque stropha deam invocari evincitur[54]). Iam vides quo iure A. Körtius Wilamo-

---

51) Cf. Preller[4] p. 322 Adn. 5.

52) Jahn-Michaelis Arx Athenarum 44, 23.

53) Itaque in parodo Iupiter (πατὴρ παντόπτης) et Diana (ἁγνὰ Διὸς κόρα) soli a Danai filiabus implorantur. Casui fortasse tribuendum sed certe memoratu dignum est, quod Argis eorundem deorum duo simulacra lignea ostendebantur, quae Danaus consecravisse dicebatur (Paus. II. 19. 7).

54) Omnino in Danaidum fabula magnae fuerunt partes

witzio oblocutus sit. Quae cum ita sint, hic locus ad tempus Supplicum definiendum nihil confert.

Stabilita versuum illorum interpretatione iam Schröderi [55] sententia paucis perstringenda est. Etenim Schröderus neque in stropha neque in antistropho coniecturam vitari posse arbitratus v. 136 scripsit *ἀχείμα⟨ν⟩τον μ' ἔπεμπε σὺν πνοαῖς* et vs. 146. *ἔχουσα⟨ν⟩ σέμν' ἐνώπι' ἀσφαλές*, nimirum ut membro ⏑ — ⏑ —, ⏑ — ⏑ — ⏑ —, quamquam et in stropha et in antistropho traditur, versus liberarentur et in eius locum restitueretur hic numerorum decursus: ⏑ — —, — ⏑ —, ⏑ — ⏑ — ut qui numerorum iambicorum rationi melius conveniret. Has suas coniecturas sic explanat „*Αὐταί, φησιν, αἱ ἱκετίδες τοὺς τῶν προπυλαίων τοίχους ἀσφαλὲς καὶ ἐμπεδῶς κατέχουσαι* (ut *πάγον θεῶν* 189 *κοινοβωμίαν* 222 *βαθρείας* 860) *ἀσφαλεῖς καὶ παρθένοι σῴζεσθαι εὔχονται τῇ θεῷ τῇ τὰς εἰσόδους καὶ τὴν παρθενίην φυλασσούσῃ.*“ Itaque Dianam hic invocari recte intellexit. Sed rei metricae causa et in stropha et in antistropho lectionem traditam coniectura temptare singularis certe audaciae est; neque est cur in illo membro offendamus, quod et alias extat: Pers. 552 ∾ 562. Sept. 900 ∾ 888 et nuperrime in Euripidis Cretensibus inventum est: [56])

σὺ δ' ἐκ κακῶν ἄναξ

Statuendum igitur est fuisse ⏑ — ⏑ — ⏑ — membrum aliquod, Reiziano simile, quod iambis admiscebatur. Multo autem magis propter sensum qui efficitur, reiectanea est ea coniectura. Nam Schröderus communem illam deorum

---

Dianae, cum Hypermestra in iudicio absoluta Dianae templum vovisse dicatur (Paus. II. 21. 1.) *τὸ δὲ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐπίκλησιν Πειθοῦς Ὑπερμήστρα καὶ τοῦτο ἀνέθηκε νικήσασα τῇ δίκῃ τὸν πατέρα ἣν τοῦ Λυγκέως ἕνεκα ἔφυγε.* Quo in numine Dianam et Venerem, utpote conciliatas, coniunctas fuisse dixeris. (cf. Aesch. Suppl. 1041) *θέλκτορι Πειθοῖ.* Non neglegendum denique in ectypo a Danao dedicato Dianam tamquam huius regis fautricem repraesentatam fuisse. Paus. II. 19. 8.

55) Aeschyli cantica digessit O. Schröder 1907.

56) Berliner Klassikertexte V. 2. 1907. nr. 217. v. 2.

aram *ἐνώπια* dici speciemque aedificii praebuisse credere videtur. Sed illa *κοινοβωμία ἀγωνίων θεῶν* sic describitur, ut de aedificio cogitare non liceat; quae qualis fuerit ad exemplum fori deorum Therae reperti nobis fingere possumus[57]. Deinde nullo modo chorus in parodo, dum in orchestra saltat, se illum locum tenere dicere potest, quem in primo episodio demum (v. 204 s.) a patre iussus (v. 189) occupat; neque si posset, pronomen *τάδε* deesset, quo spectatorum oculi ad sacrum illud deverterentur, cf. 189. *πάγον — τόνδ' ἀγωνίων θεῶν.*

Sed alius est locus quo adduci videmur ut Supplices intra annos 465 et 460 in scaenam prodisse putemus. Versibus enim 556 ss. chorus Ionis in Aegyptum adventum narrans haec cantat:

ἱκνεῖται δ' εἰσικνουμένου βέλει
βουκόλου πτερόεντος
Δῖον πάμβοτον ἄλσος
λειμῶνα χιονόβοσκον ὅντ' ἐπέρχεται
Τυφῶ μένος κ. τ. λ.

Sine dubio igitur Aeschylus his versibus Nilum repletum liquefacta nive agros adiacentes inundare dicit; quamobrem Aegyptum nive pastam nominat. Eandem sententiam invenimus in Aeschyleae fabulae incertae fragmento (frg. 300 N[2] cf. Diels l. citando)

γένος μὲν αἰνεῖν ἐκμαθὼν ἐπίσταμαι
Αἰθιόπιδος γῆς Νεῖλος ἐνθ' ἑπτάῤῥοος
γαῖαν κυλίνδων πνευμάτων ἐπομβρίᾳ,
ἐν δ' ἥλιος πυρωπὸς ἐκλάμψας χθονὶ
τήκει πετραίαν χιόνα· πᾶσα δ' εὐθαλὴς
Αἴγυπτος ἁγνοῦ νάματος πληρουμένη
φερέσβιον Δήμητρος ἀντέλλει στάχυν.

Utroque loco Aeschylus nivem in montibus Aethiopiae

[57]) Hiller von Gaertringen Thera I. 203. An. 17; cf. etiam Curtius Att. Studien I. 91/2.

labefactam Nili crescendi causam esse dicit. Eandem autem causam Anaxagoram Clazomenium primum ut videtur docuisse permultis testimoniis constat,[58]) quam opinionem iam Herodotus (II 22), ubi de Nilo quotannis aucto dicit, auctore non nominato reprobat: *ἡ δὲ τρίτη τῶν ὁδῶν ἐπιεικεστάτη ἐοῦσα μάλιστα ἔψευσται. λέγει γὰρ δὴ αὕτη οὐδὲν φαμένη τὸν Νεῖλον ῥεῖν ἀπὸ τηκομένης χιόνος.* Qua in re Aeschylum Anaxagoram sequi ac propterea Supplices, cum liber Anaxagorae post 468/7 publici iuris factus esset,[59]) inter posteriores Aeschyli fabulas ponendas esse primus contendit H. Diels.[60]) Sed non necesse est, ut hac in re Aeschylum ab Anaxagora pendere statuamus, cum verisimilius sit utrumque eundem fontem habuisse: communem dico opinionem. Hanc enim sententiam iam ante Anaxagoram apud Graecos pervulgatam fuisse et ex Aeschylo, cum bis eandem proferat, sequitur et ex Herodoti ipsius verbis colligi potest, cum eam *ἐπιεικεστάτην* nominet. Nam Graeci cum in Aegyptum venirent et miram illam Nili virtutem cognoscerent, idem quod in ipsorum terrae rivis saepe viderant, in Nilo fieri putabant. Atque iam Homerus comparandi causa saepius exemplo torrentis nive liquefacta impleti usus est, velut *E* 88

θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς
χειμάρρῳ ὅς τ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφυράς.

Aeschylum autem omnino rerum Aegyptiarum notitiam satis amplam habuisse multis locis demonstratur; quae iam in Persis (v. 33/4) invenitur; quin etiam verbo Aegyp-

---

[58]) Vide quae collegit Diels Fragm. d. Vorsokratiker, p. 322. Bergerus vir in hac re doctissimus negavit Anaxagorae hanc sententiam iure tribui, illum enim secundum ea, quae de rerum natura comperta habuisset, non potuisse credere nivem in montibus Aethiopiae remanere (Gesch. d. wissensch. Erdkunde d. Griechen [2] 1903 p. 141 ss.), id quod mihi non magis persuasit quam Wiedemanno (Herodots II. Buch, p. 104 A. 1.).

[59]) Plin. Nat. Hist. II. 149. Marm. Par. 57.

[60]) Berl. Akad. Abhandl. 1885. Seneca und Lucan p. 8 Adn.

tiaco βᾶρις utitur et in Persis (553) et in Supplicibus (837). Praeterea conf. Suppl. 560 *Τυφῶ μένος ⟨χ⟩ὕδωρ τὸ Νείλου νόσοις ἄθικτον* et 854 ss. cum Herod. II 16. Pausan. VIII 37. 6. Ne altera quidem Nili virtus Aeschylo ignota erat; nam saepius Nilum terram adaggerare commemorat (Suppl. 3/4. Prom. 847. frg. inc. 300). Sine dubio igitur ex eodem fonte, quo cetera quae de rebus Aegyptiacis comperta habebat, hausit, etiam cur Nilus augeretur didicit. Qui certe sive liber aliqui sive homines fuerunt, cum iam in Persis adhibitus sit, Anaxagorae libro antiquior fuit.

Argumentatione denique admodum levidensi Jurenka[61]) Persas Supplicibus antiquiores esse demonstrare conatus est inde profectus, quod Aeschylus semper id egisset, ut personae primariae elatiore loco essent quam chorus. Itaque rem eum ita instituisse, ut actores aut curru in orchestram provecti supra chorum eminerent[62]) aut in loco quodam superiore consisterent.[63]) In Supplicibus autem Danaum v. 713 collem ascendentem elatiore loco quam chorum versari, sed in parodo necesse fuisse, ut Danaus aequo loco cum choro in orchestram intrans aliquo modo supra chorum emineret. Itaque in hac parte Supplicum, cum in Persis nondum fuissent, cothurnos ab Aeschylo inventos primum adhibitos esse. Sed cothurnos ab Aeschylo non inventos, sed iam pridem ab actoribus adhibitos una solea addita altiores redditos esse M. Bieber nuper monuit.[64]) Quam soleam in Persis non fuisse audacius est contendere; ac si in Persis v. 598 secundum Iurenkam regina cum famulis sine cothurnis ingressa cum

---

61) Wiener Studien XXIII (1901) 209.

62) In Persis regina v. 154, in Supplicibus Pelasgus 240. 922, in Agamemnone rex 783.

63) In Persis reginam ob eam causam tumulum ascendere v. 607.

64) Das Dresdener Schauspielerrelief. 1907. Bonn. cf. A. Körte, „Der Kothurn im V. Jahrhundert“ (Festschrift zur 49. Versammlung Deutscher Philologen und Schulmänner. Basel. 1907.

possum. Nam Io omnino non poterat scire, a quo deo tot tantaque mala sibi parata essent. Itaque cum Aeschylus non eam libertatem sibi sumere posset quam Homerus[66]), cuius personae sciunt, quae in consiliis deorum constituantur, quasi ipsi adfuerint (μ 374 ss. ψ 403 ss.), Io Iunonem omnino non debebat nominare. Itaque Aeschylus non, ut Mellénus et Koertius volunt, cum Iupiter auctor malorum sit, quasi minus diligens et incautus Iunonem retinuit; quod si voluisset, facile potuit vitare; immo Iuno tam saepe (v. 592, 703, 900) quam Iupiter (v. 578, 737, 759) mala irrogasse dicitur. Iupiter primus mali auctor est, quod ob huius dei amorem Io mala patitur. Verum ceterorum malorum auctorem Prometheus qui et praeterita et futura scit, diserte nominat: Iunonem. Ceterum memoria dignum minimeque in hac quaestione neglegendum est rem non aliter se habere in Bacchylidis carmine 18, qui quamquam easdem Iunoni partes tribuit (v. 21 ss.) quas Aeschylus in Supplicibus, tamen v. 17 dicit

φεῦγε χρυσέα βοῦς
εὐρυσθενέος φραδαῖσι φερτάτου Διός.

Bacchylides autem non eas causas habebat, cur Iovem malorum auctorem diceret, quas Aeschylum in Prometheo habuisse volunt. Nec non in Supplicibus Ioni consilio Iovis migrandum est, ut iram Iunonis fugiat et in Aegyptum perveniat.

Praeterea Mellénus vestigium antiquae fabulae Argum esse contendit, qui in Prometheo supervacaneus sit. Argi partes in Supplicibus aliter quam in Prometheo narrantur: cuius rei causa est, quod Io eas res narrat, quas non salva mente passa est. Hoc cum consideraverit, summus poeta narrationem ita instituit, ut menti Ionis turbatae consentanea esset. Itaque res non ita ut re vera factae sunt, sed ita ut Ioni visae sunt, narrandae erant: quod

---

[66]) Quomodo res in Homero se habeat, bene explicavit Jörgensen in Hermae vol. XXXIX (1904) 357.

poeta egregie praestitit et, quia fabula spectatoribus nota erat, audere potuit. De umbra autem Argi sic iudicandum est: in Supplicibus Io oestro immisso agitatur, in Prometheo cum oestro tum umbra Argi: novus igitur stimulus est umbra Argi, Supplicibus ignotus. Quare oestrus deesse poterat: hunc igitur re vera ex Supplicibus Aeschylum retinuisse verisimile est.

Atque haec de mytho. Iam de Ius figura videamus. Nam in Supplicibus Io semper bos appellatur et a choro (v. 44. 299, saepius) et a rege (v. 300. 313). Uno tantum loco alia quaedam Ionis forma memoratur v. 565 ss.

βροτοὶ δ᾽ οἳ γᾶς τότ᾽ ἦσαν ἔννομοι
χλωρῷ δείματι θυμὸν
πάλλοντ᾽ ὄψιν ἀήθη,
βοτὸν ἐσορῶντες δυσχερὲς μειξόμβροτον
τὰν μὲν βοὸς τὰν δ᾽ αὖ γυναι-
κός· τέρας δ᾽ ἐθάμβουν.

Contra in Prometheo Io ut *βούκερως παρθένος* (v. 588) in scaenam inducitur. Ac fuerunt qui *μειξόμβροτον βοτόν* idem esse arbitrati ac *βούκερων παρθένον,* cur Aeschylus uno illo loco scripsisset *μειξόμβροτον βοτὸν,* aliter explicari non posse censerent nisi inde, quod Supplices posteriores esset Prometheo, qua in fabula Aeschylus formam virginis cornigerae invenisset, velut Weckleinius in praef. edit. Supplic. nec multo aliter Engelmannus.[67]) Sed cum per se veri dissimile erat Aeschylum uno loco Supplicum propter Prometheum *μειξόμβροτον βοτὸν* commemoravisse tum illis recte occurrit Mellénus[68]), cur Aeschylus Ionem postquam virginem cornigeram induxisset, postea semper bovem appellaret. Sed etiam virgo cornua vaccina tantum gerens vix *μειξόμβροτον δυσχερὲς βοτόν* vocari neque certe semifera dici potest (*τὰν δ᾽ αὖ βοὸς τὰν δ᾽ αὖ γυναικός*); sed

---

[67]) In Roscheri Lex. Myth. s. v. Io. II 271.

[68]) De Ius fabula Diss. Upsala 1901. p. 84 cf. Körte l. c. p. 290.

cum Aeschyli verbis mirum in modum consentit Ius figura, quae in vase Bostoniano depicta est[69]): vacca scilicet caput muliebre cornutum gerens. Itaque concludendum est vasis illius pictorem qui quarto saeculo in Magna Graecia fabricam habuit, vetustiorem Ius figuram, quae iam Aeschylo nota erat, imitatum esse. Omnino autem in hac quaestione imagines Ius contemplandae sunt. Nam comparatis artis monumentis Promethei et Supplicum tempora viri docti stabilire conati sunt. Multus fuit in hoc studio Engelmannus[70]), vasculis usus Hoppin quoque[71]) tempora Supplicum invenire studuit. Qui vasa in quibus cum alia Ionis fata tum Argi oppressio depingitur, in duas classes dividunt.[72]) Quarum in altera figuris nigris et nonnullis vasculis figuris rubris arte severiore ornata, Io vacca est, in altera classe, in qua vasa rubris figuris arte posteriore ornata sunt, Io *βούκερως παρθένος* est; accedit illud vasculum *μειξόμβροτον βοτόν* exhibens de quo modo dixi. Inde Engelmannus, qui Christium secutus Prometheum anno 468 doctam esse putat, haec, ut ipsius verbis utar, concludit: „Bis in die Mitte der siebziger Jahre des 5. Jahrhunderts wird Io nur als Kuh dargestellt; nach der Vorführung des Prometheus dagegen erscheint Io nur als *βούκερως παρθένος*; zwischen beide Darstellungsweisen[73]) schiebt sich die Mischbildung einer Kuh mit menschlicher *προτομή*. Dass schon vor Aeschylus die menschliche Bildung der Io bestanden haben kann, ist wegen der Gleichung mit der ägyptischen Isis zuzugeben. Wenn man aber bedenkt, dass der Wechsel in der Darstellungsweise der Io chrono-

---

[69]) Quod publici iuris fecit Engelmannus: Jahrb. d. archäol. Instit. XVIII (1903); conferas etiam Preller Mythol. II² 40.

[70]) Dissert. Halle 1868 De Ione; apud Roscher Lex. d. Mythol. s. v. Io. Arch. Jahrb. 1903.

[71]) Harvard Studies 1901, 335.

[72]) idem facit Overbeck Kunstmythologie II. 465.

[73]) Hoc falso Engelmannum contendere e sequentibus elucebit.

logisch genau mit dem Dithyrambus (Bacchyl. 19 [18 B.] Kuhform)[74]) den Supplices (Kuh mit menschlicher προτομή) und dem Prometheus des Aeschylus (βούκερως παρθένος) zusammenfällt, dann wird man sich doch genötigt sehen, die nachgewiesene Änderung, die mit den Bedürfnissen der Tragödie übereinstimmt, auch als durch die Tragödie bewirkt anzuerkennen.“ Haec Engelmannus (Arch. Jahrb. 1903. p. 57).

Quae si vera essent, Supplices vix post annum 475 scriptam esse vasculis esset demonstratum. Sed non satis evictum est haec vasa de tragoedia pendere. Quae ita comparata sunt, ut epicam traditionem non minus quam tragicam secuta esse possint.[75]) Exempli gratia de vasculo cuius figuras iam a Melléno descriptas primus publici iuris fecit Hoppin (l. c.) pauca dicam. Scaenam loco quodam sacro esse columna et ara indicatur. Media in pictura Argum fugientem Mercurius gladio stricto petit. Io vacca per virgulta aufugit. A sinistra parte mulier astat magnam clavem dextra, sinistra manu sceptrum tenens: sacerdos templi. A tergo eius vir baculo innisus, sic ut Graeci solebant, sinistram mirabundus tollit. Cui a dextra parte mulier utramque manum tollens respondet. Itaque Hoppinius Ionem bis esse depictam putat, ut vaccam et ut sacerdotem. Ac versuum Suppl. 291/2 memor:

κληδοῦχον Ἥρας φασὶ δωμάτων ποτὲ
Ἰὼ γενέσθαι τῇδ᾽ ἐν Ἀργείᾳ χθονί

---

74) Hoc carmen ante eas fabulas Aeschyli, de quibus loquimur, scriptum esse, minime demonstratum est! Praeterea consentaneum est Bacchylidem Ius formam e traditione mythica retinuisse, a qua ut recederet, nihil eum cogebat.

75) Cf. Robert, Bild und Lied 129 ss. Nuperrime Gercke (Die Altertumswissenschaft im letzten Vierteljahrhundert ed. W. Kroll 1905. 479) connexum inter vasa et tragoedias iam ineunte saeculo quinto statuendum esse poposcit. Sed hoc in singulis tragoediis probandum erit, id quod in Supplicibus contigisse nego.

cum κληδοῦχος etiam in vasculo sit, non dubitat, quin pictor Aeschyli fabulam ante oculos habuerit. Idem crediderunt Mellénus et Engelmannus. Levidense admodum vinculum! quod minime cogit, ut huic vasculo tragoediam subesse statuamus. Facit enim contra artem interpretandi putare Ionem bis esse depictam. Immo fabulam subesse statuendum est, in qua Io non sacerdos Iunonis erat, ut in Prometheo Aeschyli. Et si sacerdos illa Io esset, nihil lucraremur, quod in narrationibus epicorum carminum Io sacerdos fuit.: Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτήν (scil. Ionem) φασιν εἶναι. ταύτην ἱερωσύνην τῆς Ἥρας ἔχουσαν Ζεὺς ἔφθειρε[76]. Connexus igitur quem Engelmannus et Hoppin inter Aeschyli fabulas et artis monumenta esse contenderunt, hac argumentatione omnino solvitur.

Bovis enim formam Io in vasis nigris figuris ornatis semper habet[77] praeterea etiam in vasis quibusdam figuris rubris ornatis[78]. Bovis forma mytho tradita suo loco erat, si e re depicta statim apparebat sub vacca Ionem latere. Quamquam hic modus pingendi ab usitata artis antiquae ratione in metamorphosibus pingendis alienus est. Nam in arte antiqua si plures metamorphoses celeriter se excipiunt, hae omnes simul solent pingi, velut Thetis cum Peleo luctans simul pluribus figuris effingitur[79]; sed si homo mutatus in metamorphosi perseverat, ars antiqua monstris utitur, in quibus partes beluinae cum humanis mixtae sunt, velut socii Ulixis in beluas mutati pinguntur[80]. Talia monstra orientalium populorum arti in deliciis fuerunt; nec non ab ea arte aliena fuerunt, quae proximis

---

76) Apoll. II. 1. 3.

77) Effigies ad Ionem spectantes Engelmannus composuit in Arch. Jahrbuch 18 (1903) p. 51 ss. Exempla Ionis bovis nigris figuris vid. ap. Engelm. 9 et 10.

78) Ap. Engelm. 10—14.

79) Vid. ap. Graefium in Arch. Jahrb. I. 1887 p. 201 ss.

80) Vid. ap. Boltium de monumentis ad Odysseam pertinentibus. Diss. Berlin 1882 p. 38 ss.

his annis innotuit, quam Minoicam dicunt. Minotauri memineris et daemonum capitibus asininis instructorum[81]); monstra talia in lapidibus insularibus praecipue effinguntur.[82]) Ad originem igitur tam antiquam monstra posterioris aetatis redeunt. Quod si cogitaverimus, mirum paene videtur in arte antiqua Ionem integrae vaccae forma semper depingi, velut in solio quoque Amyclaeo factum erat[83]), et iuxta eam forma mixta, etiam si versus Aeschyli (Suppl. 569) et vas Bostonianum deesset, postulanda esset. Fuerunt igitur Ionis figurae vasi Bostoniano antiquiores, quae corpus vaccinum addito humano corpore superiore et pedibus humanis praebebant, ut Centaurorum forma genuina est: corpus equinum, corpus superius et pedes humana.[84]) Vestigium eius rei est figura, de qua Engelmannus p. 42 loquitur[85]), quae erat pars corporis feminei superior in vaccam transiens. Quare versum illum Supplicum ad Prometheum spectare nemini licet contendere. Immo Aeschylus artis monumenta ante oculos habet.

Tertia denique Ionis forma invenitur, *βούκερων* dico *παρθένον*. Quam ab Aeschylo in Prometheo aut ab alio quodam tragico creatam e theatro in artem transiisse plerisque probatur. Occurrit autem haec forma primum in his artis monumentis:

1. in vasculo collectionis Iatta[86]): media in pictura Io sedet in laevum spectans; a laevo Mercurius incitato cursu accurrit; satyri territi ima in pictura sunt: post Ionem

---

[81]) Delineati sunt in Ephem. Arch. 1887. Tab. 10.

[82]) Cf. Milchhöfer: Die Anfänge der Kunst in Griechenland, 1883 p. 54 ss. Furtwängler: Antike Gemmen II. 40. 41.

[83]) Paus. III. 18. 13. *Ἥρα δὲ ἀφορᾷ πρὸς Ἰὼ τὴν Ἰνάχου βοῦν οὖσαν ἤδη.*

[84]) Cf. Roscher, Lex. d. Myth. II. 1. 1075.

[85]) Kekulé, Terrakotten von Sicilien, Taf. 49. I. 77.

[86]) Saepius expressum, velut Wiener Vorlegeblätter 1890/1, Tab. XII. 2. Roscher, Lex. Myth. II p. 274.

Argos est muneris oblitus; nam oculos eius in se convertit bella puella Argo a Venere oblata Iove et Iunone praesentibus. Quae pictura fabulam satyricam reddere videtur[87]. Quod vas vix ante annum 420 pictum est, i. e. permultis annis post Prometheum.

2. Vas Spinellianum[88] paullo antiquius est, non tamen ante annum 450 pictum. In hac pictura Iupiter et Io sic repraesentantur, ut fuga puellae, amatoris insectatio depingi solet; humana Ius forma rationibus artis postulatur.

Deinde haec forma virginis cornigerae percrebruit et sola remansit ceteris formis repudiatis.

Originem autem huius formae cornutae ab Aeschyli Prometheo aut alio quodam tragico deducendam esse propter has causas concedi non potest. Primum quidem obstat testimonium Herodoti, qui expressis verbis dicit (II. 41) *τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον βούκερών ἐστι κατά περ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσιν.* De hac similitudine E. Meyerus[89] ‚wenn auch, inquit, Hathor und Isis sehr oft als Kühe oder nach ägyptischer Art, als Frauen mit Kuhkopf gebildet wurden, so ist weitaus gewöhnlicher, sie in voller menschlicher Gestalt darzustellen, mit einem Kopfschmuck, der aus Kuhhörnern mit der Sonnenscheibe besteht". Priusquam igitur Herodotus in Aegyptum profectus est, quod intra annos 460 et 450 factum esse constat[90], picturae Ionis cornigerae in Graecia cognitae neque insolitae

---

[87] Non recte igitur Rizzo Riv. di filol. 1902. 501. dithyrambum subesse coniecit; neque habebat dithyrambi poeta, cur formam vaccae vitaret.

[88] Quod delineandum curavit Engelm. Arch. Jahrb. 18. p. 46 fig. 4.

[89] in Roscheri Lex. d. Myth. II. 363. Idem Forsch. z. a. Gesch. I. 78. A. 2. „Absurd ist die Behauptung von Engelmann, die Vorstellung der Io als gehörnte Jungfrau gehe auf den Einfluss der Tragiker zurück, welche eine Kuh nicht auf die Bühne bringen konnten."

[90] Cf. Wiedemann Herodots Buch II. Einleit. p. 4.

erant, ut ex Herodoti verbis apparet, qui eis ad comparandum utitur. Quod ut facere posset, necesse erat ut virgo cornigera diutius nota esset, id quod contra Engelmanni sententiam facit, quae si vera esset, quod Prometheum paullo ante annum 460 doctam esse mox videbimus, intra paucos annos formam virginis cornigerae pervulgatam et notissimam factam esse oporteret. Praeterea si meminerimus Herodotum cum alia tum permulta eorum potissimum quae in libro secundo de dis Aegyptiorum refert, Hecataeo debere[91]), in tempus etiam vetustius redire licet. Haud igitur scio an illam comparationem apud Hecataeum invenerit, quem Danaidum fabulam notam habuisse deque ea iudicium e ratione repetitum tulisse constat[92]). Ex eis vero qui virginem cornigeram ab Aeschyli Prometheo pendere volunt, quaero cur artifices, si spectacula theatri imitati sunt, nunquam Ionem cum Prometheo pinxerint? Eisdem id deliberandum propono, quod ex ipsis Aeschyli verbis quibus Io inducitur, apparet non primum in Prometheo Ionem modo virginis cornigerae formatam conspectam esse. Curabant enim tragici Graeci rem ita instituere, ut spectatores semper quae persona in scaenam prodiret, scirent; quam regulam in illis solummodo personis neglegebant, quas omnes noverant; exempli gratia non necessarium erat, ut Apollinis nomen diceretur, cum Eum. 64 prodiret, nota nimirum veste et apparatu instructus. Itaque cum similiter Io sic inducatur, ut nomen eius non nominetur, omnes qui spectarent statim novisse suspicor, quae nova illa persona esset. Quod optime illustratur comparatis v. 284 ss. Ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου κ. τ. λ.

> 294 οὐ γάρ ποτ' ἐρεῖς ὡς Ὠκεανοῦ
> φίλος ἐστὶ βεβαιότερός σοι.

Hic Oceanus nomen suum profert non tam ut Prometheus

---

91) Diels Hermes XXII. 1887. 410 ss.

92) Cf. schol. Eur. Or. 872 (I. 184,20 Schw.) F. H. G. IV. 627ᵃ

quam ut spectatores sciant, quis sit. Nam Prometheus illum novit. At Io, cum iam v. 561 prodierit, v. 588 ubi interrogat *κλύεις φθέγμα τᾶς βουκέρω παρθένου*; nomen suum non profert. Ad quae Prometheus v. 589:

πῶς δ' οὐ κλύω τῆς οἰστροδινήτου κόρης
τῆς Ἰναχείας; *κ. τ. λ.*

Triginta igitur versibus postquam in scaenam prodiit, patris nomen indicatur: singularis res in tragoedia Graeca, nisi Ionis figura virginis cornigerae omnibus tam nota fuisset quam ex verbis Herodoti supra allatis [p. 39] concludere possumus. Inde mihi quidem apparere videtur illam Ionis formam tam notam fuisse, ut quicumque eam videbat et audiebat *βούκερω παρθένου*, *οἰστροδινήτου κόρης*, statim sciret Ionem hanc puellam esse. Ex arte igitur forma virginis cornigerae originem duxit. Et habebant artifices, cur formam quae in mytho erat mutarent. Nam si Io sola pingebatur, cavendum erat, ne integra vacca picta hominem subesse contemplantem fugeret. Quod ut vitarent puellam effingere coeperunt additis cornibus vaccinis et auribus. Quin vero Io etiam sola in donis votis, sive tabulis sive signis et sigillis, saepe efficta sit, dubitari non potest. Sed haec hactenus. Solis igitur eis causis quae supra exposuimus Supplices ante Prometheum doctas esse adhuc sequitur.

Quodsi de Promethei tempore quaerimus, in easdem atque in ipsa Supplicum fabula difficultates delabimur, quamquam viri docti tempus satis certum invenisse sibi videntur. Ac post iter Aeschyli Siciliense Prometheum compositam esse constat e v. 305 ss. Ecce cumulantur difficultates: quando enim Aeschylus in Sicilia fuerit, ambigitur, sed cum testimonio Eratosthenis[93]) fidem recusare non liceat, anno 471 illud iter ponendum est.[94])

93) Schol. Arist. Ran. 1028.

94) Non aeque certa Weilii (Journal des Savans 1890 p. 53) coniectura qui Wilamowitzio adnuente (Herm. XXXII 395. Adn.) Prometheum tragoediam fabula satyrica Prometheo, quae una cum Persis anno 472 docta est, priorem esse posse negat.

Christius[95]) autem fines temporis angustiores circumscripsit dum Aeschylum cum carmine Pindari Pyth. I 13 ss. in describenda Aetnae eruptione tantopere consentire monet, ut alter ab altero non pendere non posset. Priorem autem Pindarum esse demonstrari posse putavit ac Prometheum, cum Pyth. I anno 470 compositum esset, post hunc terminum datam esse. Ante quem annum Prometheus docta sit, Wilamowitzius[96]) Athenaei (XV. 674 d) verbis usus demonstrare conatur: *Αἰσχύλος δὲ ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησιν ὅτι ἐπὶ τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν στέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ, ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ, καίτοι ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Σφιγγὶ εἰπὼν* (frg. 235 N[2])

τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανον, ἀρχαῖον στέφος,
δεσμῶν ἄριστον ἐκ Προμηθέως λόγου.

Quibus versibus Sphingos anno 467 una cum „trilogia Thebana" doctae Wilamowitzius suspicatur poetam ipsum respicere ad suam Prometheum a ioco non abhorrentem ut in fabula satyrica. Quod si verum esset, trilogia Prometheia anno aut 468 aut 469 Athenis docta esset. Sed haec coniectura quamquam habet quod adrideat, vereor ut stare possit. Nam Aeschylum non ad suam fabulam sed ad Atticam quandam traditionem mythicam respicere veri est similius. Nota enim erat illa de corona Promethei narratio, qua explicabatur cur homines corona se ornare solerent. Quam narrationem indicari etiam clarius fit optima Heynii emendatione, qui pro *λόγου* scripsit *λύγου*, quo verbo apud Atticos salicis ramulus significabatur, qualem Prometheum captivitatis memoriam tulisse erat in fabulis. Qua coniectura si Heynius rectum vidit, vinculum illud inter Sphinga et Prometheum, quod cum Wilamowitzius vertat „Der Kranz, die schönste Fessel, wie Prometheus sagt" solo verbo „*λόγου*" constabat, omnino

---

[95]) Münch. Akad. Sitzungs-Ber. 1888 p. 367 ss. Lit.-Gesch.[4] 226 A. 1.

[96]) Herm. XXI. 609 adnot. Herm. XXXII 1897. 395 adnot.

solvitur. Immo Prometheum non posse ante „Septem“ scriptam esse et Bergkius vidit[97]) et nuper A. Grossius e structura dialogorum nova arte compositorum probabile reddidit[98]). Accedit alia res qua Prometheus propius ab Orestia ponitur; deest enim et in Prometheo et in Orestia simplicissimum illud genus commi, in quo chorus breves strophas canit, actor certo numero trimetrorum interpositorum respondet. Quod in ceteris fabulis iis locis adhibetur, quibus profundior animorum motus inest. Qua re fabulae Aeschyleae in duas partes dividuntur, quarum antiquiori Supplices Persae Septem, posteriori Prometheus et Orestia attribuuntur.[99])

Pauca igitur cum argumentis extrinsecus petitis profecerimus, iam ad ea nos convertamus, quae ex institutione fabulae ipsius repeti possunt. A leviore autem ut incipiam, chori vestis ea est, quae antiquiorum fabularum propria erat: peregrinum et mirum aspectum praebens. Quem habitum cum chorum Graeco vestimento indutum poeta inducere posset, consuetudinem temporis, quo fabulam scripsit, secutus elegit eique tantum tribuit, ut regem ipsum de insueto chori aspectu mirantem fecerit v. 234 ss.

---

97) Lit.-Gesch. III. 311.

98) Die Stichomythie 1905. p. 45 Adn. 47.

99) Tota haec quaestio de Prometheo irrita esset, si E. Bethio in cap. X. libri quem scripsit „Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum“ 1896 contigisset, ut Promethei traditam formam manus correctoris passam esse demonstraret. Quod quam nullo iure contenderit, optime explanavit C. Robertus in Hermae vol. XXXI. (1896) 573 ss. cf. quoque Wilamowitzii iudicium in Aeschyli Orestia II. 226 A. 2. Bethii autem argumentis infractis dubitatio movetur, num argumenta e lingua repetita, quibus Wackernagelius Bethio subvenit (in commentatione praemiorum publicae renuntiationi praemissa Gotingae 1904) magis valeant. Neque idonea sunt, cum numeris nitantur minoribus quam quibus tanta res evincatur. Quid enim Aeschylum impedivit, quominus perfectum quod resultativum dicitur, quod iam a Tyrtaeo adhibitum est et apud Pindarum extat, in Prometheo saepius adhiberet quam in ceteris fabulis?

ποδαπὸν ὅμιλον τόνδ' ἀνελληνόστολον
πέπλοισι βαρβάροισι καὶ πυκνώμασι
χλίοντα προσφωνοῦμεν; οὐ γὰρ Ἀργολὶς
ἐσθὴς γυναικῶν οὐδ' ἀφ' Ἑλλάδος τόπων

et v. 279

Λιβυστικαῖς γὰρ μᾶλλον ἐμφερέστεραι
γυναιξίν ἐστε κοὐδαμῶς ἐγχωρίαις.
καὶ Νεῖλος ἂν θρέψειε τοιοῦτον φυτόν,
Κύπριος χαρακτήρ τ' ἐν γυναικείοις τύποις
εἰκὼς πέπληκται τεκτόνων πρὸς ἀρσένων
Ἰνδάς τ' ἀκούω νομάδας ἱπποβάμοσιν
⟨τοίας⟩ καμήλοις ἀστραβιζούσας, χθόνα
παρ' Αἰθίοψιν ἀστυγειτονουμένας.
καὶ τὰς ἀνάνδρους κρεοβόρους τ' Ἀμαζόνας,
εἰ τοξοτευχεῖς ἦτε, κάρτ' ἂν ἤκασα
ὑμᾶς.

Eadem autem quae de choro Supplicum statuimus, de choro Aegyptiorum conicere possumus faventibus Supplicum versibus 719 s.

πρέπουσι δ' ἄνδρες νάϊοι μελαγχίμοις
γυίοισι λευκῶν ἐκπεπλωμάτων ἰδεῖν.

De scaena deinde haec dicenda sunt. Supplices domu illa unde actores prodire quo redire possint, etiam caret, qua sola e servatis Aeschyli tragoediis Orestia utitur iam satis splendide amplificata. Quam domum ab Aeschylo inventam esse constat ex Vitruvio VII praef. 11 ubi legitur: „Primus Agatharchus Athenis Aeschylo docente tragoediam scaenam fecit et de ea commentarium reliquit" atque Aristoteles (poet. 4. 1449. a. 18) tradit: σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς scil. παρεσκεύασεν, unde Aeschylum certe iam scaena usum esse sequitur. Hoc factum est versus finem vitae Aeschyli inter annum 467 — nam „Septem" illa scaena caret — et Orestiam fortasse anno 465[100]. Novimus etiam alias Aeschyli

[100]) Cf. Dörpfeld-Reisch: Das griechische Theater p. 199 ss. Wilamowitz Hermes XXI 606. G. Haupt: Quaest. arch. in Aeschylum (Dissert. philol. Halens.: Vol. XIII 1897 p. 137 ss.).

fabulas, quae iam scaena instructae fuerunt. Tentorio enim opus erat in Myrmidonibus, domo regia in Lycurgia. Scaena non caruit Ψυχοστασία, si Pollucis verbis (4, 130) fidem habemus: ἀπὸ δὲ τοῦ Θεολογείου ὄντος ὑπὲρ τὴν σκηνὴν ἐν ὕψει ἐπιφαίνονται θεοί[101]. Cum Psychostosia in trilogia fortasse coniuncta erat Memnon, quae certe in fabulis posterioris aetatis fuit, quippe in qua ut παραχορήγημα quartus actor adhibitus sit[102]. Quare additis trilogia Promethea et Orestia quinque certe sunt trilogiae, quos post Septem doctas esse necesse est. Cabiros quoque post Septem commissam esse Christius secutus Wilamowitzium probabile reddidit.[103] Tot inter tragoedias trilogiae Danaïdum vix locus relinquitur post Septem. Ac quamquam non necessarium est, omnes eas fabulas quae sine scaena sunt, ante scaenam inventam doctas esse, tamen cum scaenae usus multa commoda fabulae instituendae afferret, non est verisimile novum artis instrumentum poetas neglexisse nisi idoneis causis coactos, velut in Prometheo propter argumentum fabulae domus illa scaenica adhiberi omnino non poterat. Aliter atque in Prometheo in Supplicibus res se habet. Poterat enim poeta, si ei domus scaenica iam praesto fuisset, Supplices non solum ad aram symbolis deorum insignem confugientes facere, sed sicuti in Euripidis Heraclidis praeter aram templum in scaena erat, similiter Supplices in urbem ingressae aut ad aram ante domum regiam sitam tutelam petere potuerunt, (cf. verba regis v. 365

> οὔτοι κάθησθε δωμάτων ἐφέστιοι
> ἐμῶν)

aut ad aram quandam et templum urbanum eorum ex numero, ad quae Danaos v. 480 cum ramis Supplicum mittitur. Nam quominus intrarent urbem, nihil impedivit; num

---

101) Cf. C. Robert in Hermae vol. XXXI. 1896. 571.
102) Reisch in Dörpfeld-Reisch, das griech. Theater p. 199.
103) Hermes XXI 612. Christius in Lit.-Gesch.[4] p. 230 A. 5.

remanere eas Argivi sinerent, id agebatur. Quorum tamen poeta nihil voluit, nimirum quod domu scaenica nondum inventa non potuit; itaque in ara illa et πάγῳ acquievit. Bene ceteroquin poeta locum elegit medium inter urbis tutelam et hostium impetum situm. Ac ne ceterae quidem huius trilogiae fabulae domum scaenicam habuerunt; nam Aegyptios eodem loco ac Supplices, Danaïdes in foro, ubi de Hypermestra iudicium ferebatur[104]), actas esse non sine veritatis specie conicere possumus. Quare hanc trilogiam ante scaenam inventam doctam esse constat.

Nec minus antiquus fabulae status elucebit, si iam de actorum usu dicemus. Duobus enim actoribus Aeschylus usus est in hac fabula ut in omnibus servatis fabulis praeter Orestiam[105]). Neque duobus illis actoribus apte uti scit. Semel tantum poeta duorum actorum dialogum, ubi rex et nuntius inter se digladiantur, componere conatus est, satis brevem qui quadraginta sex versibus continetur (907—953). Multo melius iam in Persis colloquia duorum actorum composita sunt, nam regina diu cum nuntio agit dum chorus mutus astat (290—514) et postea satis longum inter reginam et Dareum diverbium sequitur (v. 703—786). Uno autem illo loco excepto, sicubi duo actores adsunt, alter neglegitur, alter cum choro colloquitur. Atque Danaus cum filiabus (176—233) collocutus, ubi rex prodiit obmutescit quasi non adsit. Rex cum choro colloquitur (234—346). V. 318—320 Danaï mentio fit

Χορός: *Βῆλον δίπαιδα, πατέρα τοῦδ' ἐμοῦ πατρός.*
Βασ.: *τὸ πάνσοφον νῦν ὄνομα τούτου μοι φράσον.*
Χορός: *Δαναός, ἀδελφὸς δ' ἐστὶ πεντηκοντάπαις.*

---

104) Paus. II. 20. 7. Schol. Eur. Or. 872. cf. E. Meyer Forschungen z. a. Gesch. I. 101.

105) Fuerunt qui in Danaïdibus tres actores fuisse contenderent, quod Venus in causa inter Danaum et Hypermestram diiudicanda prodisset (Kruse in edit. p. 25 praef.). Sed cum in Supplicibus duo actores sint, in ceteris fabulis non plures fuisse certum est. Ceterum Hypermestram in scaenam prodisse minime necesse est.

sed Danaus ipse ne verbum quidem intericit. Deinde chorus et rex commum nectunt (347—408); post brevem orationem regis (407—417) chorus carmen cantat (418—436) auxilium regis implorans. Deinde postquam colloquio quam maxime agitato Supplices minatae sunt sese ipsas necaturas esse nisi subveniretur, rex auxilium promittit; Danao praecepta dat. Tum demum ille postquam per 257 versus i. e. per quartam totius fabulae partem[106]) mutus astitit, decem versus loquitur, quibus se in urbem iturum esse populique auxilium imploratorum declarans e scaena decedit. Licet Danai partes tantopere neglegi inde explicari possit, quod in prima fabula trilogiae nihil est nisi comes filiarum suarum[107]), tamen non dubium est, quin Aeschylus Danao qui nunc non tam persona quam umbra est, maiores partes tributurus fuerit, si artem colloquii inter plures personas dividendi iam magis excoluisset tum cum Supplices componebat. In Prometheo enim multum poeta addidicit: ibi si praeter chorum duae personae adsunt, chorus aut mutus adstat aut tertiae instar personae colloquii particeps fit.[108]) In Septem, Persis, Supplicibus duorum tantum colloquium componere scit; nunquam tres partes inter se colloquuntur. Sed magnopere in hac re illae fabulae inter se differunt. In Septem enim alter actor nunquam neglegitur, dum alter cum choro agit; nam maior pars fabulae duorum actorum orationibus continetur choro neglecto; eis locis, ubi chorus cum altero actore agit, alter non adest. Minus excultus est usus duorum actorum in Persis; ibi enim regina per quadraginta quinque versus neglegitur (246—290), dum chorus cum nuntio agit, sed poeta hanc rem quasi excusat, cum reginam dicentem faciat (v. 290)

σιγῶ πάλαι δύστηνος ἐκπεπληγμένη
κακοῖς.

---

[106]) Cf. Körtium l. c.

[107]) Quamquam in tertia fabula sine dubio partes primarias egit.

[108]) V. 631, 782, 1036.

Paullo aliter in Agamemnone res se habet, ubi Clytaemestra, postquam narrationi praeconis eiusque dialogo cum choro [illegible] interfuit, inde a versu 587 orationem incipit. Consulto enim hoc factum est, nam Clytaemestra quae praeter [illegible] iam ignium significatione comperta habebat. Itaque tacens gaudet chorum, qui ipsi fidem non habuerat, verba nuntii audientem [illegible] iam non posse. Consulto quoque nec sine gravi causa in Persis Aeschylus rem sic instituit, ut regina inde a versu 703 usque ad versum 847 i. e. per [illegible] versus taceat; nam oratione v. 738—786 rex et reginam et chorum alloquitur, sed versu 787 chorus [illegible] regem de re publica consulit, qui senibus respondet primum dialogo deinde oratione respondeo [illegible] 852 reginam alloquitur. Hoc igitur res aliter se habent atque in Supplicibus, ubi alterum actorem per quartam partem fabulae sine ullo consilio neglegi vidimus.

Causa autem huius rei in tragoediae initiis invenitur, nam adhuc chorus tragoediae membrum tam grave est, ut poeta eum prae actoribus neglegere non audeat. Itaque rex Aegyptiorum cum choro ipso, non cum Danao agit, quamquam is p. 1029 [illegible] esse dicitur [illegible] v. 8. Personae igitur instar chorus est, qui in re antiquus mos [illegible] quam [illegible] poeta [illegible] exempla sunt Euripidis Supplices [1] et Heraclidae. Etenim in Supplicibus quamquam chorus primo carmine misericordiam Aethrae implorat [illegible] ad [illegible] commovet, cum [illegible] Theseus [illegible] tamen cum Theseo non chorus sed Adrastus de [illegible] agit. Eodem atque Adrastus partes Danai apud Aeschylum quoque egisset, si Supplices tum scriptae essent, cum [illegible] iam [illegible] quod chorum [illegible] Supplices [illegible]

[1] [illegible]

adscribenda est, quas iuvenis adhuc docuit. Ac ne Heraclidas quidem ipsos rem suam agentes Euripides fecit, sed qui pro eis ageret Iolaum adiunxit; chorum indigenas, Heraclidas mutas personas esse voluit. At apud Aeschylum Heraclidas chori partes habuisse et per se et propter stasimi fragmentum (74 N²) a Wilamowitzio in indice schol. hibern. Gryphisw. a. 1877 p. 13 tractatum verisimile est. Nec non inde quod altera trilogiae fabula ab Aegyptiis h. e. a choro nomen duxit, cum chorum magnos partes habuisse tum trilogiam e vetustissimis fuisse concludam.

Ceterum Euripidem in prima suarum Supplicum parte non nullis Aeschyli inventis usum ab Aeschyli Supplicum imitatione pendere occasione oblata liceat demonstrare.[110]) Stichomythia igitur et apud Aeschylum (291 ss.) et apud Euripidem (113 ss.) res antea gestae exponuntur. Deinde postquam primis precibus neque rex Pelasgus neque Theseus commotus est, chorus et apud Aeschylum (418) et apud Euripidem (271) carmine interposito regem orat atque obsecrat. Sed frustra: maioribus opus est, ut rex obsequatur in utraque fabula: minis demum Danaïdum rex Pelasgus cogitur, Theseus mitigatur lacrimis matris Aethrae et gravibus adhortationibus. Manifestus vero Euripides imitator exsistit, cum Theseus ad populi contionem sicuti Pelasgus de re Supplicum relaturus Adrastum secum ducit quo teste utatur sicut Pelasgus Danao. Neque enim id eo consilio fieri, ut actor Adrasti postea aliam personam sustinere possit, inde elucet, quod mox ipse cum Theseo revertitur. Dicit igitur apud Aeschylum Pelasgus:

(Suppl. 480 ss.) *σὺ μέν, πάτερ γεραιὲ τῶνδε παρθένων,*
κλάδους γε τούτους αἶψ' ἐν ἀγκάλαις λαβὼν
βωμοὺς ἐπ' ἄλλους δαιμόνων ἐγχωρίων

---

[110]) Partim hoc perspexit O. Krausse „De Euripide Aeschyli instauratore“ Diss. Jena 1905. p. 75/6 qui pluribus exemplis verborum quoque similitudines quasdam ostendit.

θές, ὡς ἴδωσι τῆσδ' ἀφίξεως τέκμαρ
πάντες πολῖται μηδ' ἀπορριφθῇ λόγος | ἐμοῦ·

apud Euripidem Theseus

(Suppl. 354.) λαβὼν δ' Ἄδραστον δεῖγμα τῶν ἐμῶν λόγων
εἰς πλῆθος ἀστῶν εἶμι.

Denique non sine Aeschyli exemplo (907—953) factum est, quod praeco procax lingua apud Euripidem quoque cum rege certat (399—584), nisi quod Euripides ea quae Aeschylus tantum perstrinxerat, data opera persequitur. Eoque apertior est imitatio, quod hanc scaenam, quamquam non aeque necessaria atque apud Aeschylum erat, consulto inseruit (ut ex oratione Thesei 381—399 apparet) id appetens, ut in ea de rebus civilibus verba fierent. Sane, ne in hoc quidem orationum certamine Euripides, quo flagret odio in praecones, occultat. Quare etsi Euripidem huic fabulae sui ingenii ac sui temporis signa et notas impressisse neminem fugit, tamen in actionis progressu vestigia exempli Aeschylei perspicua sunt. Sed haec in transcursu.

Reversi autem ad rem propositam non minus summae vetustatis vestigia in Supplicibus inveniemus, si omnino de dialogis et de orationum indole, comparatis ceteris tragoediis Persisque potissimum, accuratius quaeremus. Unde Supplices ab originibus tragoediae propius quam ceteras fabulas abesse discemus. Nam cum tragoedia ita orta sit, ut ad chorum curru actor adveheretur, duae illae partes rem sic inter se dividere poterant, ut aut orationes haberent aut colloquia necterent. Cuius colloquii priscam formam stichomythiam fuisse Ad. Grossius nuper peculiari libro exposuit[111]). Itaque in primis tragoediis ubi colloquia sunt nondum dialogus liberiore modo compositus sed stichomythiae exspectandae sunt. Atque in prisca forma tragoediae accidere potuit, ut una oratio totum episodium efficeret et dialogus omnino deesset. Cuius sim-

---

[111]) Die Stichomythie, ihre Anwendung und ihr Ursprung 1905.

plicitatis exempla etiam in tragoediis servatis inveniuntur. Optimum exemplum in Persis exstat, ubi episodium (598—622) una reginae oratione expletur. Duo exempla in Supplicibus sunt, cum episodium 600—625 sic compositum sit: 600/1 Danaus 602—604 chorus 605—625 rhesis Danai. Et similiter rhesis Danai 980—1013, quam quattuor chori versus excipiunt, inter duas partes chori interposita est. Huic argumento opponi non potest, quod in Eumenidibus inter epiparodum chori et primum stasimum nihil intersit nisi ῥῆσις Orestae (276—298) quam septem versus chori sequantur; nam illa Orestae ῥῆσις secundi prologi instar est. Sed singula observare non sufficit: totius fabulae compositio contemplanda est. Quae in Supplicibus mira simplicitate est. Sic enim Aeschylus rem instituit, ut (exceptis commis) post orationes actorum aut chorus paucis versibus plerumque ternis respondeat (204—206, 246—248, 274—276, 291/2) aut colloquium sicubi producendum est, statim in stichomythiam transeat; quare fit ut quinque stichomythiae inter chorum et actores inveniantur[112]; neque vero in unico illo inter duos actores colloquio stichomythia (916—929) desideratur. Colloquia liberiore ratione conformata nondum inveniuntur. Uno loco (v. 324) stichomythia finita dialogus liberior incipi videtur; sed postquam rex tres, chorus quinque versus locuti sunt, dialogus statim in stichomythiam transit. Rursus Persas si comparabimus, colloquiis liberius compositis instructam inveniemus; tres enim huius generis dialogi in hac fabula sunt. Nam narrationem nuntii ne auditores nimia longitudine offendantur, bis brevibus colloquiis reginae et nuntii poeta interrumpit[113]), quorum alterum 331—352 sic distribuitur[114]), ut reginae 6 versus,

[112]) 207—221, 291—321, 332—346, 455—467, 504—515.

[113]) Cf. Gross l. c. p. 43 ss.

[114]) V. 345/6 reginae dare virum doctissimum Lipsium in scholis de Aeschyli Persis habitis memini: post versum 346 signum interrogandi ponendum est.

nuntio 8, reginae 2, nuntio 1, reginae 1, nuntio 1, reginae 3 versus dati sint; alterum (433—446) hoc modo compositum est, ut regina 2 versus, nuntius 3, regina 3, nuntius 4, regina 2 versus pronuntiet. Tertium denique exemplum, chori et Darei colloquium (787—799), paullo aliter se habet, cum stichomythiae formam artificiosiorem praebeat, ita ut choro 3 versus, Dareo 3, choro 1 Dareo 1, choro 1 Dareo 2, choro 2 versus tribuantur. Qua re cum appareat artem dialogorum componendorum in Persis multo maiorem exstitisse, satis perspicuum est Supplices Persis non esse posse posteriores.

Transeamus iam ad orationes: eas quoque si accuratius spectabimus, speciem artis minime excultae praebere elucebit. Primum enim, ut Orestiam omittam, magnae illae orationes, quae iam in Persis inveniuntur[115]), quae fabulae Septem maiore numero ornamento sunt, in Supplicibus omnino desiderantur, e cuius orationibus una (980—1013) plus triginta versus habet, tres plus viginti, ceterae multo minus. Argumenta autem tenuia sunt et ubertate carent. Quod signum simplicitatis et vetustatis esse nemo negabit noti illius Aristotelis testimonii recordatus[116]), quo cum chori partes ab Aeschylo minutas esse affirmetur, ab eodem auctorum partes auctas esse sequitur. Etenim ut actor choro par exsisteret tragoediaque „suam naturam acciperet“, id quod eius maxime proprium est excoli oportebat, orationem dico et dialogum. In utraque re Supplices statum simplicissimum prae se ferre videmus. Ac de dialogis quidem iam diximus. Sed quod ad orationes attinet, ut statim oculis appareat Supplices antiquissimam fabulam esse, in tabulae appositae primam columnam (I) versus chori qui meris canticis, in secundam

115) 176—214, 353—432, 800—842.

116) Aristoteles de arte poet. c. 4 *τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσεν.*

(II) versus actorum, qui orationibus continentur, rettuli; tertia (III) docet, quota pars singularum tragoediarum orationibus contineatur:

	I	II	III
Supplices	472	276	0,257
Persae	318	393	0,365
Septem	294	408	0,378
Prometheus	94	507	0,463
Agamemnon . . .	510	642	0,384
Choephori	221	406	0,377
Eumenides	249	462	0,441

His numeris liquido apparet orationes paulatim maius spatium in tragoediis occupare, cantica imminui. Nam cum ceterae fabulae ea in re ferme inter se congruant, quod multo plus quam tertia pars totius fabulae orationibus continetur [117]), in Supplicibus solis quarta tantum pars orationibus concessa est, sola in illa fabula carmina numero versuum orationes superant. Sed iam in Persis orationum versus plures extiterunt, quorum numerus in posterioribus fabulis etiam auctus eodem fere apud ceteras fabulas omnes intervallo versus canticorum antecedit. Quare hac tabula, cum quod ad Persas Septem Orestiam attinet cum eis temporibus, quae didascaliis servatis firmata sunt, congruat, recta Supplicum quoque tempora indicari, confidere possumus. Optime igitur ille temporum ordo stabilitur, quo Supplices Persas aetate aliquanto antecedunt. Ac ne numeris solummodo rem agamus, in Supplicibus Aeschylum orationibus nondum multum tribuisse iam inde evincitur, quod Danaum si voluisset et per statum artis tragicae licuisset, orationem habentem inducere potuit, qua auxilium regis imploraret,

[117]) Prometheum paullo differre nemo mirabitur, qui huius fabulae indolem perspexerit.

[illegible] admonitiones [illegible] At [illegible] poeta [illegible] possum [illegible] Thespidis [illegible] sese habuisse [illegible] qui [illegible] can- [illegible] potuit ma- [illegible] oportuit. [illegible] praeter [illegible] loqueretur, ac- [illegible] in quibus [illegible] maximi mo- [illegible][118] [illegible] et suam natu- [illegible] quibus actor [illegible] trimetrorum [illegible] propriam indolem [illegible] ad chori in- [illegible] chorus praevalet, [illegible] orationem, quippe [illegible] increscere. Quare etiam in Septem [illegible] chorus et unus actor in scaena sunt, non multum orationibus, quae tamen in hac tragoedia bene excultae sunt, agitur, sed stichomythiis et commis 181—286, 677—719. Neque aliter in Supplic. v. 710—775. Cantus vero ille alternus inter Bacchylidis carmina nuper inventus, qui memoriam quandam antiquae tragoediae prae se fert, sententiae nostrae quam maxime favet. Itaque dum tragoedia uno actore utebatur, nihil causae erat, cur orationes musica carentes maius spatium obtinerent. Chorus et actor eis, quas supra descripsi, formis inter se agere poterant. Sed altero actore invento cum duae sententiae inter se decer-

118) cf. E. Bethe: „Die griechische Tragoedie und die Musik“ in Neue Jahrbücher für Klass. Philologie etc. 1907. p. 81 ss.

tarent, eaque tragoedia quam nos novimus creata esset, necessarium erat, ut duabus illis partibus arma pararentur, quibus inter se digladiarentur: i. e. ut orationes excolerentur. Consentaneum igitur erat, ut in Supplicibus Danaus cum rege non solum dialogis — quamquam ne id quidem facit — sed etiam orationibus ageret. Quid? quod Aeschylus quamquam duos actores habebat, novas formas parce adhibuit, priores formas retinuit, nonne id nos de eo statu tragoediae monet, quo poetae uno actore utebantur? Nam in ea parte Supplicum, ubi Danaus mutus adstat (234—489) variis formis poeta usus est, reliquiis antiquissimae tragoediae: stichomythia, commo simplicissimi generis (347—406)[119] brevi chori oratione (327—331), carmine interposito (418—435), orationes alternae desunt. At fuit alterum genus orationis iam in tragoediae primordiis: narrationem dico quae in Persis Septem Prometheo magni momenti est, in qua saepius actor chorum alloquitur. Narratione nimirum Dionysum *πάθη* sua exsecutum esse necesse est. Tamen ne illa quidem latius spatium occupavisse potest, cum chori cantus partes primarias tenerent. Nec desunt exempla, ubi eae res, quae narrationis propriae sunt, tamen non narratione exhibentur. Compares Bacchylidis carmen modo citatum, canticum alternum, cuius argumentum Thesei adventus est. In Phrynichi quoque tragoedia *Πλευρώνιαι* inscripta chorus cantico de morte Meleagri referebat[120]. Quin etiam in ipsis Supplicibus Persis Prometheo eae res quae narrationis sunt stichomythiae formam acceperunt[121]. Quare quamvis paucae relliquiae in hac quaestione disceptanda nobis praesto sunt, tamen ad id quod coniectando invenimus comprobanda sufficiunt:

119) Ceterum longissimus inter eos est qui in Supplicibus Persis Septem occurrunt.

120) F. T. G. ed. Nauck² frg. 6 p. 721; cf. C. Robert in Herm. vol. XXXIII 156.

121) Cf. Gross l. c. p. 77.

[illegible] temporibus orationes [illegible] quae orationibus [illegible] se ferre. At in Persis [illegible] poterant, iam occupave- [illegible] Tamen Aeschylus ne [illegible] missis simplicibus [illegible] quibus, id quod [illegible] explicandam utitur, [illegible] partes artis musicae [illegible] se habeant, pul- [illegible] (l. c.). Sed postea [illegible] ita ut actores inter [illegible] minuuntur, animos [illegible] aeque vel magis [illegible] tragoediae primordiis chorus [illegible] eaque pars, [illegible] est. Simul par- [illegible] sunt: en habes [illegible] tragoedia Euripidea splen- [illegible]

[illegible] Redeamus ad propositum, [illegible] Supplicibus sunt accuratius [illegible] est orationes sic dis- [illegible] progrediuntur, sententia [illegible] eo pervenerit, [illegible] posterioris aetatis [illegible] Nam saepius [illegible] ut ei qui lo- [illegible] et sententia in initio [illegible] exempla iam apponam. [illegible] incipit

[illegible] εὐτυχέστερον,

[illegible] fere versu:

[illegible] εὐτυχέστερον;

Similiter postea qua sententia oratio regis orsa est v. 517

ἐγὼ δὲ λαοὺς συγκαλῶν ἐγχωρίους
πατῶ,

ad eandem interiectis mandatis choro datis redit oratio

v. 522 ἐγὼ δὲ ταῦτα πορσυνῶν ἐλεύσομαι.

Qua in re sine dubio imperitia quaedam loquendi vel potius simplicitas omni fuco rhetorico libera deprehenditur.[122]) Plura autem talia attente legenti saepe occurrunt. Statim enim in prima oratione, ut ab ea incipiamus, primis verbis v. 176 παῖδες φρονεῖν χρή ultima respondent

v. 203 θρασυστομεῖν γὰρ οὐ πρέπει τοὺς ἥσσονας.

Neque aliter in omnibus fere quotquot sunt orationibus res se habet. Velut v. 249—273 chorum interrogantem et dubitantem quocum sibi res sit, Pelasgus, quod ad personam suam attineat, bono animo sit et sibi respondeat, his verbis admonet:

πρὸς ταῦτ' ἀμείβου καὶ λέγ' εὐθαρσῆς ἐμοί.

Deinde generis sui originem exponit et regni magnitudinem describit[123]), quo facto denuo chorum admonet, ut sibi respondeat

ἔχουσα δ' ἤδη τἀπ' ἐμοῦ τεκμήρια
γένος τ' ἂν ἐξεύχοιο καὶ λέγοις πρόσω.

Nec non sequens oratio (277—289) eodem modo composita est; nam rex non perspiciens, quo iure Danaïdes Argisse oriundas esse contendant, primum Danaïdum dicta credibilia auditu esse negat:

ἄπιστα μυθεῖσθ', ὦ ξένοι, κλύειν ἐμοί
ὅπως τόδ' ὑμῖν ἐστιν Ἀργεῖον γένος.

---

[122]) Talia ex usu sermonis cotidiani arte carentis ducta esse Behaghel permultis omnium fere linguarum exemplis collectis demonstravit (Paul und Braunes Beiträge XXX 1905. 431 ss.).

[123]) Haec digressio regis cum longior sit quam dramatis actio postulat et potius sermonem epicum redoleat, fortasse ex fonte Aeschyli, quod carmen epicum Danaïdes fuisse E. Meyerus statuit (Forschungen z. a. Gesch. I. 64) in tragoediam transiit.

Deinde postquam causas dubitandi exposuit, simillimis [illegible]

[illegible] ... τὸ σόν.

[illegible] versibus [illegible] Danaus de [illegible] Argivorum [illegible]

[illegible]

[illegible] iterum [illegible]

[illegible] pater [illegible]

[illegible]

apertum est respici ad initium orationis εὔχεσθαι χρεὼν κτλ. ibi enim eae res enarrantur, quibus praestandis gratus animus cognoscatur. Quin etiam, si de lectione restituenda quaeremus, ea orationum proprietate quam observavimus, ad hunc locum sanandum ni fallor uti poterimus. Ac bene congruit, quod in codice M traditur τυγχάνοντας ... σέβεσθαι accusativus cum infinitivo; repudiandae igitur eae coniecturae, quibus haec constructio deletur, velut Weilii qui restituit: τυγχάνοντος ... σέβεσθε. Immo retinendus est accusativus cum infinitivo quaerendumque unde pendeat. Molestum autem esse vocabulum ἐμοῦ multi viderunt: cuius in locum restituendum est illud verbum quod accusativum cum infinitivo regit; scripserunt igitur G. Herrmann, Paley θέμις, Schwerdt, Sidgwick λέγω, Heimsoeth, Oberdick χρεών. Ac v. 989 et 990, cum initium orationis brevius repeti iam viderimus, propter eam consuetudinem, quam perspeximus, non dubium est, quin Aeschylus χάριν σέβεσθαι ... χρεὼν scripserit, ut v. 980 εὔχεσθαι χρεών. Heimsoethius[124]) ἐμοῦ ad τιμιωτέραν explanandi causa prave adscriptum postea in textum irrepsisse censet, comparativum autem τιμιωτέραν recte sic interpretatus est, ut omissa re comparanda ad maiorem quendam gradum indicandum positus sit. Nam iam apud Homerum legitur θ 187 λάβε δίσκον | μείζονα καὶ παχετόν.[125]) Nostra igitur lingua τιμιωτέραν est „recht ehrenreich". In altera autem parte huius orationis filias ut modeste se gerant pater admonet (v. 996):

ὑμᾶς δ' ἐπαινῶ μὴ καταισχύνειν ἐμέ

Quod cur necesse sit, postquam exposuit, repetit (v. 1008):

---

[124]) Die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus 1861 p. 144.

[125]) Plura exempla huius usus contulit Schwab Histor. Syntax der griech. Komparation i. d. klassischen Literatur 1893 = Schanz, Beitr. z. histor. Synt. d. griech. Sprache vol. I. fasc. 1 p. 109.

μηδ' αἶσχος ἡμῖν, ἡδονὴν δ' ἐχθροῖς ἐμοῖς πράξωμεν.

Eadem igitur ratio componendi in omnibus his orationibus agnoscitur: ea quae actor dicturus est, in initio dicendi brevi sententia comprehendit, eandem argumentis circuitu modo longiore modo breviore expositis iterat, ita ut quasi orbe oratio circumducatur. Contra oratio artificiosa ita adornatur, ut is qui loquitur in loquendo ipso nova inveniat, non ita ut antecipet id, quo petat oratio. Haec igitur ratio componendi, quam in Supplicibus invenimus, quae speciem rigoris cuiusdam prae se fert, arti nondum satis excultae danda est. Certum est hac re Supplices ab omnibus ceteris fabulis differre, quippe in quibus talia aut rarissime aut non exstent.[126] Quamquam non contendo talia evitanda esse in orationibus componendis omnino, tamen cum totiens una in fabula inveniantur, ut paene solemnia sint, hoc casu factum esse nego. Huic observationi ob eam rem multum tribuam, quod ea praeter cetera argumenta dubitationes eorum, qui Supplices quamquam in numero fabularum antiquiorum habendam esse concedunt, tamen Persis priores esse negant[127]), infringere potest.

Haec habebam quae de compositione fabulae dicerem maxime id ostendere conatus in Supplicibus rudimenta artis Aeschyleae nobis servata esse, unde progressus postea facta ad artem perfectam ab impedimentis primordiorum liberatus pervenit.

126) Singula exempla in Persis inveni

[illegible] *Πέρσαι γεραιοὶ τίνα πόλις πονεῖ πόνον;*
[illegible] *τί ἐστι Πέρσαις νεοχμὸν ἐμβριθὲς κακόν;*

[illegible]

[illegible] γενέσθε τῶνδε σύμβουλοι πέρι·
[illegible] τῆσδ' ἐστὲ βουλῆς, ὦ φίλαι, μεταίτιαι,

[illegible] καὶ ἄλλα.

127) [illegible] A. Dieterich in Encycl. Real. s. v. Aischylos I. 1075.

At de metris quae Rossbachius et Westphalius disputaverunt[128]), contra nostram sententiam facere videntur. Cum enim in Persis maiores partes quae dochmiis compositae sint desiderentur eamque fabulam omnino, quod ad numeros attineat, speciem antiquitatis prae se ferre dicant, necesse esse iudicant, ut antiquissimam servatarum Aeschyli fabularum Persas esse statuamus; sola enim in illa tetrametros trochaicos esse, strophas dactylicas et ionicas frequentiores esse quam in ceteris fabulis. Quod cum scriberent doctissimi illi viri tetrametrorum trochaicorum, qui in Agamemnone sunt (v. 1344 ss. 1649 ss.) plane obliti esse videntur. Quod autem tales versus nisi in Agamemnone et in Persis non inveniuntur, id nos monet, ne nimis celeriter de numerorum usu iudicemus neve inde, quod genus aliquod numerorum deest, quicquam de tempore fabulae concludamus. Nam fabulae Aeschyli superstites pauciores sunt quam quae ex numerorum usu in ordinem chronologicam redigi possint. Quid? Si de tempore Eumenidum non constaret, quid inde concluderetur, quod in hac fabula glyconei et pherecratei omnino desunt? Talibus igitur argumentis facile decipimur.

Gravius est quod ex singulorum metrorum compositione disci potest. Nam dochmios in Supplicibus aliis rationibus compositos esse atque in ceteris fabulis statuere possumus. In Supplicibus enim, id quod viros doctos adhuc fugisse videtur, dochmiorum systemata ita decurrunt, ut licentiae neque hiatus neque syllabae ancipitis usquam admittantur, *συνάφεια* per totum systema observetur[129]). Sed in Septem, Prometheo, Orestia non solum post *κῶλα*

---

128) Theorie der musischen Künste III, 2, 777. 779.

129) Quare v. 362 coniectura Hermanni, quam Weilius accepit: *ποτιτρόπαιον αἰδόμενος οὐ πενεῖ·* | *ἱεροδόκα θεῶν* cum hiatum efficiat, reiectanea est; in M traditur *οὖν περ*. Ob eandem causam v. 847 Schröderi coniectura falsa est, qui pro tradito *αἷμονες ὡς ἐπάμιδα ἠσυδουπιαταπιτα* scripsit *αἵμον' ἴσως ἐπ' ἀμί-δα ⟨σε⟩ καθιδρύω-ἀπιτέ' ἀπιτέα*.

binis dochmiis composita syllaba anceps et hiatus admittuntur, sed etiam post singulos dochmios. Necesse est ut exempla adscribantur. Atque hiatus quidem in his exemplis est:

Sept. 96 ἰὼ μάκαρες εὔεδροι | ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι τι μέλλομεν ἀγάστονοι; |
ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον et saepius.
Ag. 1125 ἆ ἆ ἰδοὺ ἰδού· | ἄπεχε τᾶς βοὸς
" 1428 λίβος ἐπ' ὀμμάτων αἵματος ἐμπρέπει· |
ἄτιετον ἔτι σὲ χρὴ
Cho. 336 [illegible] Παιάν· | ἐμοὶ δ' ἐς δόμον
" 347 [illegible] Παιάν· | ἔθηκε δ' ἐν μάχᾳ
Eum. 1450 [illegible] ὦ πόποι, |
[illegible]
" 1455 [illegible] ἀμβρότον |
[illegible]

[illegible] anceps autem his locis invenitur:

[illegible] ἀλλ' ὦ Ζεῦ, πάτερ
[illegible]
[illegible]
[illegible] ἀπόστροπον |
[illegible]
[illegible]

[illegible] nullae inveniantur, [illegible] esse credere non [illegible] antiquiore compositi [illegible] syllaba anceps et hiatus [illegible] numeri sequuntur, [illegible] in fine versus numeris omnis [illegible] ὀτοτοτοῖ [illegible] difficilior est alter [illegible]

φοβερὸν ἀπότρεπε,
ὦ βᾶ Γᾶς παῖ Ζεῦ

Dicat enim quispiam v. 892 dochmium esse. Sed num dochmii rarissima forma — — — — — quae apud Euripidem saepius extat, apud Aeschylum et Sophoclem pro certo statui possit, dubium est, praesertim in hac stropha, quae non ex meris dochmiis composita est. Schröderus quidem hanc formam et ab Aeschylo et a Sophocle abiudicans[130]) inter sesquimetra (prosodiaca) hunc versum referendum esse censet, (l. c. p. 116/7) cum aperte respondeat sesquimetro v. 890 *μᾶ Γᾶ μᾶ Γᾶ, βόαν* — — — — ⏑ — Potes sane versus sic accipere. Potes quoque v. 890 pro molosso cretico adiuncto et v. 892 illi respondentem pro molossospondio habere, ut in Septem: v. 770 *ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν*. Quo cum numero bene congruit ille, quem Aristides (de mus. 38/9) sic describit: *ἐν δὲ τῷ παιωνικῷ γένει . . . . . παιὼν ἐπιβατὸς ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ μακρᾶς ἄρσεως καὶ δύο μακρῶν θέσεων καὶ μακρᾶς ἄρσεως*. Neque dubitat Christius[131]) in Supplicum v. 892 hunc numerum agnoscere. Paeones autem et cretici quam facile dochmiis admisceantur, nemo ignorat; accedit quod complures creticos in hac stropha invenimus. Quare G. Hermannus[132]) quoque v. 890. 892 ut creticorum cum dochmiis coniunctorum „exemplum etsi utrobique corruptum" attulit. Hoc igitur loco ea lex quam statuimus non violatur. Denique v. 886 res in dubium vocari videtur; nam Sidgwickii lectione accepta

885	*οἰοῖ, πάτερ βρετῶν ἀπο-*	2 iamb.
	σπάσας μ' ἅλαδ' ἄγει	dochm.
	ἄραχνος ὥς βάδην	dochm.

hiatus gravis inter duos dochmios efficitur. Sed ex his quae e codicis gravissimis corruptelis — M exhibet *βροτιοσα ροσαται μαλδαάγει* — multis coniecturis restituta sunt,

130) L. c. p. 118' Sophocl. cant. p. 84.
131) Metrik^{2} p. 389.
132) El. doctr. metr. p. 267.

argumenta repetere non licet. Praeterea si aut Weilii aut Schröderi lectionem sequimur

οἰοῖ πάτερ iamb.
βρέτεος ἄρος ἄτα dochm. (Weil)
βρετέων ἄρος ἄτα trin. (Schröd.)
μάλα δ' ἄγει cretic.
ἄραχνος ὡς βάδην dochm.

hic non minus quam permultis illis locis certae lectionis ea lex valet, qua in Supplicibus dochmiorum decursus hiatu aut syllaba ancipiti nusquam interrumpitur. Quare si systematum dochmiacorum compositionem spectas, Supplices Septem certe aetate antecedunt. Inde autem quod in Persis systemata dochmiaca desunt, Persas Supplicibus antiquiores esse non sequi iam supra monui. Accedit quod Rossbachius et Westphalius ipsi non ignorant dochmios in Sophoclis Trach., in Euripidis Alc. Cycl. Suppl. deesse, unde nihil de earum fabularum temporibus concludi possit. Ac ne in Prometheo quidem, qui et Persis et Septem posterior est, systemata dochmiaca inveniuntur nisi parvum aliquod.

His quae adhuc persecutus sum, cum Supplicum summa vetustas satis demonstrata esse videatur, argumenta e lingua repetenda silentio praetereunda non sunt. Atque ex observationibus eorum, qui dicendi usus exempla colligendo et numerando operam navaverunt, cum hic illic dispersae lateant, non ingratum erit eas, quae usui esse possunt, conferre, etsi pleraeque eae sunt, quibus numerandi ratio, quantos in errores inducat, appareat. Etenim Weberus[133]) inde quod in Persis et in Septem nullum exemplum sit, in quo enuntiata finalia coniunctione ὅπως addito ἄν inducantur, in Supplicibus, Prometheo, Agamemnone, Choephoris singula, in Eumenidibus duo exempla inveniantur, Persas et Septem ceteris fabulis antiquiores esse coniecit. Quae quam non vera sint, tabula p. 79 a Webero composita facile

---

[133]) Entwicklungsgeschichte der Absichtssätze = Schanz: Beitr. zur histor. Syntax d. griech. Sprache. II. 1. 1884.

perspicitur. Gravissimum autem est, quod nescio quomodo accidit, ut in Persis duo (v. 450. 692), in Septem quinque v. 55. 237. 627. 215. 20) enuntiata finalia insint h. e. multo minora quam in ceteris fabulis excepta Agamemnone in qua quattuor exempla sunt (v. 1293. 1647. 911. 364). Ὅπως ἂν autem, cum Aeschylus, apud quem primum in litteris legitur, non ipse primus finxerit sed in inscriptionibus publicis invenerit, quo tempore volebat in tragoediae linguam inducere potuit[134]. Itaque postquam iam in Supplicibus coniunctione ὅπως ἂν usus est, in Persis et in Septem nescio qua causa impeditus noluit adhibere, fortasse quod enuntiata finalia in his fabulis non frequentia sunt. Atque hoc quidem casui tribuendum est. Sed ea quae F. Birkleinius de usu infinitivi articulo addito nominis loco adhibiti statuit[135] adminiculo nobis esse possunt. Exempla enim haec invenit: in Suppl. 3 in Persis 1, in Septem 1, in Prometheo 11, in Agamemnone 22, in Choephoris 4, in Eumenidibus 9. Supplices igitur in antiquioribus fabulis sunt exempla multo minora exhibentibus quam iuniores, quamquam in Orestiae fabulis Choephori valde differunt. Non plane denique repudianda est Rüteri sententia,[136] qui usum metonymiarum apud Aeschylum crevisse statuit hisce exemplorum numeris nisus: sunt enim in Supplicibus 16, in Persis 19, in Septem 29, in Prometheo 10, in Agamemnone 31, in Choephoris 31, in Eumenidibus 24.

Sed his argumentis non tantum tribuendum est quantum prioribus, quibus satis constat Supplices anti-

---

[134]) Cf. Meisterhans, Gram. d. att. Inschr. 1888. p. 212. In inscriptionibus Atticis per totum saeculum V a. Chr. n. nullam coniunctionem nisi ὅπως ἂν in enuntiatis finalibus occurrere ne Weberus quidem ignorat.

[135]) Entwicklungsgeschichte des substantivierten Infinitivs = Schanz: Beiträge etc. 1888.

[136]) De Metonymia abstractae notionis pro concreta apud Aeschylum. Diss. Halle 1877.

quissimam omnium quae servatae sunt fabularum esse. Ac quamquam testimoniorum inopia impedimur, ne certius tempus stabiliamus, nonnulla indicia ex historia repetita fortasse contemnendae non sunt. Nam cum v. 633 carmine ineunte chorum orantem fecerit, ut di incendia ab urbe Argivorum arceant, haud scio an poetae in mente haeserit magna illa clades Argivorum, qua plus sex milia civium in luco igni necati esse dicuntur.[137]) Etenim ut poeta vocabulum *πυρίφατον* eligeret, repentina fortasse recordatione factum est, cum subita huius rei memoria poetae animum inter componendum tetigisset. Quod paullo post tot civium neces accidisse verisimile est. De tempore eius calamitatis non satis constat, nisi quod ante a. 491 eam ponendam esse Beloch[138]) demonstravit; de a. 493 E. Meyer[139]), Pöhlmann[140]) de a. 495 cogitant. Ad idem fere tempus deveniemus, si Aeschyli consuetudinis meminerimus, qua rerum eodem tempore gestarum si non expressis verbis ita tamen rationem habuit, ut quae omnium animos tum movebant in fabulis eius vestigia reliquerint. Ac cum in Persis id propter argumentum necessarium fuerit, ex Orestia contentiones civiles illius temporis sentire possumus, quamquam argumentum huius rei ansam non praebebat. Simile quid etiam in Supplicibus accidisse potest. Itaque ut nobis quoque liceat res historicas in Supplicibus odorari, si nominibus mythicis neglectis fabulam ipsam inspicimus, puellas habemus ex Graecia oriundas patriam maiorum petentes auxiliumque implorantes contra eos, quorum ex terra fugiunt, sicut eo tempore coloniae Ionicae a Persarum impetu oppressae pristinam patriam adierunt. Scimus porro Phrynichum, quem et ipsum in scaena res suo tempore gestas tractasse fabularum „Persae“ et „*Μιλήτου ἅλωσις*“

[137]) Droysen, Aeschyl. Trag. übersetzt² p. 576.
[138]) Griech. Gesch. I. 349.
[139]) Gesch. d. Alt. III. 121.
[140]) Griech. Gesch.³ 58.

exemplo constat, *Αἰγυπτίους* et *Δαναΐδας* scripsisse eiusdem argumenti dramata atque Aeschyli Supplices sunt. Quem hic ut in Persis Aeschyli exemplum fuisse recte statuimus. In utriusque fabulis cum Supplices auxilium a pristina maiorum patria peterent, Ionensium urbium et pericula et preces audiri poterant. Quare cum colorem illum a temporibus ductum fabulae accipere non possent, si res illae gestae tam longe aberant, ut animos poetarum aut spectatorum vehementius iam non moverent, non multis annis post infelicem Ionum seditionem Supplices in scaenam prodisse conicientes fortasse a vero non aberrabimus. Cui tamen coniecturae non insisto; exposita antiqua Supplicum indole iter satis longum a Supplicibus usque ad Persas et Septem demonstravisse satis habeo.

Epimetrum de carmine v. 625 ss. (cf. p. 6.)

Hoc in carmine quas tot viri docti eximias erga Argivos voluntates invenisse sibi visi sunt, nullas inesse demonstrabo simul tenorem sententiarum explanans. Nam omnia tam universe dicta sunt, ut non defuerint, qui eadem vota potius Atheniensium quam Argivorum causa magnam partem dici contenderent.[141]) Utramque sententiam falsam esse puto. Nam Aeschylum cum hoc carmen componeret, nihil aliud quaesivisse quam ut in eum locum conveniret ubi est, iam inde apparet, quod in unaquaque fere stropha bona illa vota propter beneficia erga Supplices fieri chorum memorantem fecit (v. 627. 641. 652. 656. 671/2. 701); itaque nunquam obliviscimur, qua de re agatur, neque si poetae consilium mente amplectimur, de rebus extra fabulam positis cogitare fas est. Ac vota ipsa quoque hoc facere vetant. Quae in hominum valetudine, in terrae et pecorum fecunditate versantur. Tralaticia autem et usitata ea

---

141) Weckleinius in edit., Schröderus l. c. p. 11.

fuisse neque igitur singulares rationes eis subesse ut appareat, ei loci comparentur, quibus eadem vota coniuncta inveniuntur. Primum exemplum apud Homerum legitur, τ 109—114 ubi boni regis *εὐδικία* laudatur

ὥς τέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς
ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων
εὐδικίας ἀνέχῃσι, φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ,
τίκτῃ δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχῃ ἰχθῦς
ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.

Sequitur Hesiodus (Op. 225)

οἳ δὲ δίκας ξείνοισι καὶ ἐνδήμοισι διδοῦσιν
ἰθείας καὶ μή τι παρεκβαίνουσι δικαίου,
τοῖσι τέθηλε πόλις, λαοὶ δ' ἀνθεῦσιν ἐν αὐτῇ.
εἰρήνη δ' ἀνὰ γῆν κουροτρόφος, οὐδέ ποτ' αὐτοῖς
ἀργαλέον πόλεμον τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς.
οὐδέ ποτ' ἰθυδίκῃσι μετ' ἀνδράσι λιμὸς ὀπηδεῖ
οὐδ' ἄτη, θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται.
τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον, οὔρεσι δὲ δρῦς
ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους μέσση δὲ μελίσσας.
εἰροπόκοι δ' ὄιες μαλλοῖς καταβεβρίθασιν·
τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν·
θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσι διαμπερές· οὐδ' ἐπὶ νηῶν
νίσονται, καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Totiens deinde a poetis et scriptoribus haec repetita sunt, ut paene *τόπον* harum sententiarum connexum esse dicas. Quem Aeschylus ipse in carmine Eum. v. 938 ss. adhibuit, ter autem in Oid. *α'* Sophocles ad perniciem ira divina effectam describendam:

v. 25 *φθίνουσα μὲν κάλυξιν ἐγκάρποις χθονός*
φθίνουσα δ' ἀγέλαις βουνόμοις τόκοισί τε
ἀγόνοις γυναικῶν· ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς
σκήψας ἐλαύνει, λοιμὸς ἔχθιστος, πόλιν,
ὑφ' οὗ κενοῦται δῶμα Καδμεῖον.

praeterea v. 168 ss. v. 269 ss.

Tria exempla apud Herodotum quoque sunt; etenim III. 65 Cambyses postquam Persarum principes regno consulere iussit, finem facit: *καὶ ταῦτα μὲν ποιεῦσι ἡμῖν γῆ τε καρπὸν ἐκφέροι καὶ γυναῖκές τε καὶ ποῖμναι τίκτοιεν ἐοῦσι ἐς τὸν ἅπαντα χρόνον ἐλευθέροισι· μὴ δὲ ἀνασωσαμένοισι τὴν ἀρχὴν μηδ' ἐπιχειρήσασι ἀνασῴζειν τὰ ἐναντία τούτοισι ἀρῶμαι ὑμῖν γενέσθαι καὶ πρὸς ἔτι τούτοισι τὸ τέλος Περσέων ἑκάστῳ ἐπιγενέσθαι οἷον ἐμοὶ ἐπιγέγονε,* praeterea VI 139, IX 93.

Callimachus autem Dianae numen sic adloquitur (Hym. in Dian. 122 ss.)

ἀλλά μιν εἰς ἀδίκων ἔβαλες πόλιν, οἵ τε περὶ σφέας
οἵ τε περὶ ξείνους ἀλιτήμονα πολλὰ τέλεσκον,
σχέτλιοι· οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν·
κτήνεά φιν λοιμὸς καταβόσκεται, ἔργα δὲ πάχνη,
κείρονται δὲ γέροντες ὑφ' υἱάσιν, αἱ δὲ γυναῖκες
ἢ βληταὶ θνήισκουσι λεχωίδες ἠὲ φυγοῦσαι
τίκτουσιν τῶν οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνέστη.
οἷς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσηαι,
κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν· εὖ δὲ γενέθλη
τετραπόδων, εὖ δ' ὄλβος ἀέξεται· οὐδ' ἐπὶ σῆμα
ἔρχονται πλὴν εὖτε πολυχρόνιόν τι φέρωσιν·
οὐδὲ διχοστασίη τρώει γένος, ἥ τε καὶ εὖπερ
οἴκους ἑστηῶτας ἐσίνατο· ταὶ δὲ θυωρόν
εἰνάτερες γαλόῳ τε μίαν περὶ δίφρα τίθενται.

Accedit Dionysius Halicarnassensis (Arch. I. 23) qui Myrsilum Lesbium secutus Pelasgorum res adversas narrat: *πρῶτον μὲν οὖν τῆς οἰκοφθορίας ταῖς πόλεσιν ἐδόκει αὐχμῷ ἡ γῆ κακωθεῖσα ἄρξαι, ἡνίκα οὔτ' ἐπὶ τοῖς δένδρεσι καρπὸς οὐδεὶς ὡραῖος γενέσθαι διέμεινεν, ἀλλ' ὠμοὶ κατέρρεον, οὔθ' ὁπόσα σπέρματα ἀνέντα βλαστοὺς ἀνθήσειεν ἕως στάχυος ἀκμῆς τοὺς κατὰ νόμον* [illegible] *χρόνους, οὔτε πόα κτήνεσιν ἐφύετο διαρκής, τῶν τε* [illegible] *μὲν οὐκέτι πίνεσθαι σπουδαῖα ἦν, τὰ δ' ὑπελίμπανε* [illegible]*λος ἀπεσβέννυτο· ἀδελφὰ δὲ τούτοις ἐγίνετο* [illegible] *καὶ γυναικῶν γονάς. ..... ἔπειτα καὶ τὸ ἄλλο* [illegible] *μάλιστα ἐκακοῦτο νόσοις καὶ θανάτοις παρὰ*

[illegible] Libanius est epist. 141.

[illegible] hunc [illegible] videmus ex [illegible] (S. 118) servato [illegible] ἀλλὰ [illegible] ἧττον δὲ [illegible]

[illegible] saec. III. [illegible] 40.

[illegible] γίνεσθαι [illegible] καὶ ἄλλα πολλὰ [illegible] πρόβατα [illegible] αὐτῶν. [illegible] qui titulus paullo ante [illegible] μή τε [illegible] κατὰ φύσιν πάντα [illegible] ἦμεν [illegible]

[illegible] et piorum [illegible] in usu fuisse. [illegible] vigebant Aeschylus [illegible] passim elucere in [illegible] velut id quoque [illegible] saeculis post apud [illegible] tribui, qui ho- [illegible] apud Aeschylum. [illegible] scriberet, neque [illegible] cogitaverunt ac [illegible]

[illegible] quomodo [illegible] amplificando et ad- [illegible] partes dividen- [illegible] quidem parte (str. [illegible] precaturus

in universum optat, ut in aeternum res publica Argivorum maneat neve unquam crudeli bello evertatur, deinde grato animo satis ample, sicuti decet, in beneficio eximio versatur, quo Argivi Iovis numen veriti se affecerint. Quod propter beneficium Argivos deorum favore usuros et sacrificia eorum dis accepta futura esse postquam affirmavit, in secunda parte (str. et ant. β', str. et ant. γ') bona danda exponit. Atque in str. β', ut primum de lectionibus constet, v. 661 στάσις supplendum est ex Eum. 977. μήποτ' ἐν πόλει στάσιν τᾷδ' ἐπεύχομαι βρέμειν, nam Eum. 980 μηδὲ πιοῦσα κόνις μέλαν αἷμα πολιτᾶν aperte respicit ad Suppl. v. 662 πτώμασιν αἱματίσαι πέδον γᾶς; favet quoque huic coniecturae vox ἐπιχωρίοις. Reiectanea autem est v. 659 Schützii et Weckleinii coniectura qui λιμός pro λοιμός malunt. Eidem v. 680 λοιγός in λοιμός mutare coguntur. Quare utraque coniectura falsa est. Confer etiam Persarum v. 715 τίνι τρόπῳ; λοιμοῦ τις ἦλθε σκηπτὸς ἢ στάσις πόλει, ubi iterum pestis et discordia civilis coniunctae sunt. Accedit denique quod scriptura tradita λοιμὸς ... κενώσαι usitatam rationem dicendi exhibet: cf. Soph. Oid. α' 28: λοιμὸς ἔχθιστος .... ὑφ' οὗ κενοῦται δῶμα Καδμεῖον et Thuc. 2. 51. οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν scil. ὑπὸ τοῦ λοιμοῦ. Multo deterius v. 680 esset: λοιμὸς τάνδε πόλιν δαΐζων. At λοιγὸς δαΐζων de bello dictum optime se habet. Neque necessaria est coniectura; nam quod v. 681, ut statim hic de hoc loco dicam, Ἄρη pestilentiae deum esse volunt, non recte iudicant. Plutarchus[142]) enim hunc locum exscripsit, ut Martem in bello furere demonstraret. In prima autem str. γ' parte ob eam causam pestis esse non potest, quod tum prave in altera parte νούσων ἑσμός induceretur, quasi pestis νοῦσος non esset. Itaque v. 659 λοιμός, v. 680 λοιγός retinendum est. Sed eamus ad str. β'. Denuo igitur ad laudandum et precandum chorus se adcingens primum pro salute virorum (ἀνδρῶν v. 659) rogat: absit pestis et discordia civilis. Iuventutis deinde flos (ἥβας ἄνθος

[142]) In amat. 16. p. 759 E.

v. 663) ut illibatus sit, precatur; neque casui tribuendum est, quod bipertita precatio ἥβας δ᾽ ἄνθος ἄδρεπτον ἔστω et μηδ᾽. . . . Ἄρης κέρσειεν ἄωτον similis invenitur ap. Hesiodum 228/9. Neque molestum est bellum memorari cum iam v. 634 fuerit, id quod multos offendit; nam nostro loco bellum non ut malum per se memoratur, sed tantum quatenus iuventuti nocet. Tertium denique aetatis gradum in ant. β′ habemus: „senum venerabilium (καὶ γεράροισι v. 668) plenae sint sedes senatorum“ [143]). Tum str. β′ vota complexus „sic, inquit, bene sit habitata urbs eorum, qui Iovis hospitalis iussis parent“ [144]). In ant. β′ v. 674 sine dubio δ᾽ ἐφόρους retinendum est, quamquam δὲ φόρους postquam Erfurdtius primus proposuit, lectio paene vulgata facta est. Nam etiam qui novissimus Aeschylum edidit Sidgewickius nec minus O. Schröderus δὲ φόρους acceperunt, quamquam haec mutatio aperte falsa est. Nam tribus strophis (v. 656—687) Aeschylus de salute hominum agit: itaque frugum subita commemoratio in his strophis ferri nequit, praeterquam quod in ant. γ′ de frugibus agitur. In ant. β′ vero fruges sententiarum tenorem miserrime turbarent, cum in illo oraverit, ut senectus in urbe floreret; quibus apte vota pro subole danda adiungit Diana mulieribus favente. Opponuntur igitur inter se in hoc antistropho senectus et suboles aperto consilio poetae, quod eos fugit, qui non apte fruges intrudunt. Itaque δ᾽ ἐφόρους γᾶς sensui bene satisfacit, modo ne inter-

---

143) C. Robert in Herm. vol. XXXII (1897) 442.

144) Recte Bergkius monuit hic non tam de re[illegible] statu et forma agi (de re publica in str. δ′ dicitur) [illegible] rum optare, ut „civitas etiam senum venerabili fl[illegible] senatus imagine solummodo utitur, ut res dilucid[illegible] iciat. νέμεν sensu habitandi legitur ap. Aeschylum [illegible] πάντες οἱ κατὰ πτόλιν, δαίμονές τε καὶ βροτοί [illegible] νέμοντες item Eum. 919. Quod vulgo interpret[illegible] bene administranda loquuntur, aperte non ad l[illegible] drat, ubi solummodo de incolarum bono stat[illegible] θεῦσιν ἐν αὐτῇ Hesiodos dicit.

preteris *βασιλέας*, ut scholiastae placuit, sed viros qui terrae consulant, qui consilio et sapientia rem publicam regere ac gubernare possint, ut in Soph. Oid. *β'* v. 145 senes chori *ἔφοροι χώρας* nominantur. Quorum pro salute str. *γ'* rogatur, etenim ut accrescant et nutriantur pace neve eis damno sit tumultus belli et incursionis hostilis aut morbororum agmen, Apolline Lycio favente[145]). Multo igitur uberius quam ceteri poetae et scriptores Aeschylus hanc partem votorum, qua de hominum salute agitur, tractavit eaque ad felicem urbis statum describendum usus est. Sed brevissime in ant. *γ'* arborum et pecorum fecunditatem memorat; tum verbis: *τὸ πᾶν δ᾽ ἐκ δαιμόνων λάχοιεν* solemnium votorum agmen clauditur. Extremum denique votum quo chorus precatur, ut hymnis ad aras di celebrentur, tantum apud Aeschylum legitur. Cogitavit autem poeta de diebus festis ac solemnibus post messem ubique Graeciae habitis, quibus inter immolandum hymnis quoque dis immortalibus gratiae agebantur. Quod votum quo consilio Aeschylus cum antecedentibus coniunxerit, optime hoc loco Aristotelico illustratur[146]): *οὐ γὰρ τοῦ παρόντος συμφέροντος ἡ πολιτικὴ ἐφίεται, ἀλλ᾽ εἰς ἅπαντα τὸν βίον, θυσίας τε ποιοῦντες καὶ περὶ ταύτας συνόδους, τιμὰς ἀπονέμοντες τοῖς θεοῖς, καὶ αὑτοῖς ἀναπαύσεις πορίζοντες μεθ᾽ ἡδονῆς. αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίνεσθαι μετὰ τῶν καρπῶν συγκομιδὰς οἷον ἀπαρχαί·* Str. et ant. *δ'* iam eo quod multo gravius sonant[147]) ab anteeedentibus distinguuntur ita, ut tertiam partem efficiant. Insunt autem adhortationes magis quam vota, cum chorus tria illa sanctissima iussa, ut in re publica Argivorum

---

[145]) Hac re ne quis ad Athenas respici suspicetur, monendum est etiam in aliis fabulis Apollinem Lycium, Athenis cultum invocari, ubi Atheniensium res attigi nemo putare potest: Sept. 145. Oid. *α'* 203. 919. Ceterum Appollinem Lycium inter deos Argivos primarium locum habuisse nemo est quin sciat.

[146]) Eth. Nic. 1160. a. 21.

[147]) Schröder l. c. p. 13.

observentur, precetur, scilicet ut his conservatis res publica bene constituta sit et Argivi deos in posterum quoque propitios habeant. Ne v. 698 ss. quidem necesse est de Atheniensium re publica accipi et admonitiones Atheniensibus datas sentire. Nam poetae illud genus rei publicae ante oculos versatur, de quo supra diximus (p. 11 s.). Accedit quod sententia insequenti denuo Argivorum beneficium in memoriam revocatur. Sic ut nobis supplicibus tutelam praestiterunt, chorus inquit, omnino hospitum iura aestiment. Quod autem interpretatores plerique ad hos versus explanandos *δίκας ἀπὸ ξυμβόλων* et pacta inter civitates facta adscribunt, supervacaneum est. Primum enim pacta illa, quatenus nobis scire licet[148]), Aeschyli Supplicibus iuniores fuerunt. Deinde hic omnino non de pactis, quae inter certas civitates convenerant, agitur, sed de illis legibus, quae *κοινοὶ τῆς Ἑλλάδος νόμοι* vocabantur et inter ea erant, quae *νόμοι ἄγραφοι* dicebantur et dis auctoribus tribuebantur[149]); non tam hominum foedera sed ea praecepta quae dis curae sunt, chorus observari iubet. Cum his iussis conferas a Furiis cantata (Eum. 269)

ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν
ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβοῦντες ἢ
τοκῆας φίλους,

et eadem amplificat Eum. v. 538—549. In eo carmine de quo agimus, cum id iussum primo loco positum sit, quo observato Argivi recentem laudem sibi paraverunt, scilicet tutela hospitibus data, cetera duo: pietas erga deos, parentum verecundia ultro subsequuntur (ant. *δ'*).

---

148) E. Meyer, G. d. A. II § 237.

149) Cf. Hirzel *Νόμος Ἄγραφος* Abhandl. d. phil.-hist. kl. d. kgl. sächs. Gesellsch. d. Wiss. 1903. XX. 1. p. 47 ss.

Vita

Natus sum Georgius Müller die 19. mensis Septembris a. 1884. Cothenis Anhaltinorum, ubi pater puerorum praeceptoris munere fungitur. Parentes superstites esse valde laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Vere anni 1903 postquam gymnasium patriae per novem annos frequentavi, testimonium maturitatis adeptus Lipsias migravi rebus philologicis operam navaturus. Inde post ter senos menses studiose peractos Halas Saxonum me contuli, ubi per quinquies senos menses civis academicus fui. Docuerunt me v. v. d. d.

Lipsienses: H. Berger †, Brugmann, M. Heinze, Hirt, Immisch, Lamprecht, Lipsius, Martini, F. Marx, Mogk, Prüfer, Schreiber, Studniczka, Volkelt, Windisch, Wachsmuth †, Wundt.

Halenses: Aal, Abert, Bechtel, A. E. Berger, Blass †, Bremer, Dittenberger †, Fries, Ihm, Maurenbrecher, Riehl, Robert, Strauch, Vaihinger, Wilcken, Wissowa.

Proseminarii philologici Lipsiensis sodalis fui per ter senos menses Immischio moderante, Halensis per sex menses Wissowa regente. Deinde viri clarissimi Blass, Dittenberger, Wissowa benevolenter in seminarii philologici primam classem me receperunt, cuius exercitationibus per bis senos menses interfui, sex menses senior. Praeterea ut exercitationibus interessem benigne concesserunt v. v. d. d. archaeologicis Studniczka, Robert, historicis Wilken, grammaticis Bechtel, Hirt, germanicis A. E. Berger, Bremer, Strauch, paedagogicis Fries. Omnibus his viris illustrissimis quot quantaque debeam, nunquam non memor ero. Gratias autem quam maximas semper habebo F. Blassio praematura morte abrepto, qui primus ut opusculum ederem, me monuit, et C. Roberto qui in conficiendo summa benevolentia me adiuvit.